


KONINKLIJKE BIBL
0569 974

EPISTOLÆ

EXCELLENTIUM

BATAVORUM.

EPISTOLÆ

ALIQUOT

EXCELLENTIUM


BATAVORUM,

CONSCRIPTÆ

A

PETRO HOFMANNO PEERLKAMP.

GYMNAS. DOCC. RECT.



HARLEMI,

APUD ADRIANUM LOOSJES, PF.

MDCCCVIII.


BIBLIOTHEEK.

Apud A. LOOSJES Pf. Harlemi protant adhuc aliquot Exempla feqq.

I. GROTII (HUGONIS) Parallelon Rerumpublicarum ed. Meermanno. IV. voll. 8vo. maj. *f* 16 - 4 -

II. ——————— Epistolæ Ineditæ ex Mufæo Meermanniano. 8vo. maj. . . . . . 2 - 8 -

III. PEERLKAMP (P. H.) Oratio de Xenophonte Ephefio. Accedit in eundem Obfervationum Criticarum Specimen. 8vo. maj. . . . . : - 12 -

IV. ——————— Vitæ aliquot Excellentium Batav. 8vo. maj. . . . . - 15 -

V. WOORDHOUDER (T) Monumenta fugæ Grotianæ 8vo. maj. . . . . - 15 -

EPISTOLÆ

ALIQUOT

EXCELLENTIUM

BATAVORUM,

CONSCRIPTÆ

A

PETRO HOFMANNO PEERLKAMP.

GYMNAS. DOCCUM. RECT.

FASCICULUS I.



HARLEMI,
APUD ADRIANUM LOOSJES, PF.
MDCCCVII.

AEQUO ET RERUM PERITO ARBITRO.

In ufum juventutis, cui *Vitæ meæ excellentium Batavorum* fuere pergratæ, has epiſtolas in lucem emiſi. Illud, quod hoc etiam labore ſpero et ago, eſt, ut ſermonis bene Latini, rerumque a majoribus geſtarum cognitio teneris animis mature impreſſa, augeatur atque amplificetur. In animum autem induxi, unum deinde alterumve epiſtolarum faſciculum emittere. — Bene vale. —



P. H. P. S. P. D. Disciplinæ suæ alumnis.

Biennium est, optimi juvenes, quod Harlemo huc veni, et vos disciplinæ meæ traditi estis. — Ea quæ futura dixi, modo id, quod in vobis esset, præstaretis, evenerunt. Dixi autem, quod et vos libenter in memoriam revocare soletis, nihil esse, quod labore, usu, et exercitatione, hac ætate addisci non posset, positis præsertim jam rudimentis. Hæc itaque a vobis, quum lectiones nostras ordiremur, postulavi, deque iis nihil omnino remisi. Quod reliquum fuit curæ, id mihi imperavi, cumque me vobis, quem vidistis, ducem præbui. Vos partes vestras bene egistis, ut adeo laboris mei, tantum abest ut me poeniteat, fructum percipiam longe jucundissimum. — Quare accipite

hoc a me munusculum, optimi juvenes; et me, quod facitis, ut præceptorem vestrum et amicum, diligite et amate.

Scripsi Doccumæ a. d. x Octob. MDCCCVI. —

EPIS-

EPISTOLÆ

EXCELLENTIUM

BATAVORUM.

GULIELMUS COMITI EGMONDANO P. S. D.

Ex quo me a vobis in Germaniam recepi, Comes Egmondane, et communibus Belgii miseriis cogito, cogito autem sæpisſime, ſolet in mentem venire illius diei, quo multis te precibus rogavi, ut ſalutis tuæ habere velles rationem. Nam quum Margaretha me, ut in Batavis manerem, deducere vellet, atque ego ea de re vobiſcum agerem, te a cæteris, qui aderant, ſeduxi, et plurima ad timorem fidisſime atque amantisſime propoſui. Sollicitum te habebat cogitatio rerum fortunarumque tuarum, quas ſi relinqueres, in exſilio nihil tibi fore dicebas, quod pro dignitate tua te aleret atque tueretur. Regem etiam placari poſſe tibi perſuadebas, ſi ſacris concionibus illius inimici interdicerentur, et ſancti poenas a templorum violatoribus haberent. Velim equidem, et tua et aliorum cauſa, hæc opinio rerum eventu probaretur. Sed perſpecta mihi Hispanorum crudelitas et perfidia, pericula veſtra, quæ par-

tim jam adſunt, partim imminent, præſagiunt. Quare me conſilii mei nec poenitet, nec puto fore ut unquam poeniteat. Neque vereor ne famæ et exiſtimationi male conſuluisſe dicar. —— Reliqui Belgium quod a teneris ut patriam meam, amavi; idque multas ob cauſas, quas ſatis notas tibi arbitror. —— Ita tamen reliqui, ut corpus tantum meum deſideret, animum nunquam deſideraturum ſit. Animi enim curæ et cogitationes quotidie in Batavorum ſalute exercentur. Hos in libertatem vindicabo aut honeſte mortem oppetam. Neque hæc mea voluntas tibi aut aliis viris nobilibus, qui patriæ bene cupiunt, ullo modo poteſt esſe incognita. Ipſi etiam ingenui cives facile illud perſpexerunt. Quare et plurimi me favore ſuo proſecuti ſunt.

Cæterum conſilia mea mihi non magis celanda arbitror. Jam enim dux ille Hispani exercitus domum me ad cauſam dicendam revocavit, me fidem Philippo datam fefellisſe, meque conjuratæ multitudini ducem me præbuisſe, accuſavit. Habeo quæ ad hæc reſpondeam; illa brevi videbitis. Interim non parere certum eſt. Quod ſi enim mei poteſtatem fecero, quo jure quaque injuria, me trucidabunt. Nihil enim amplius penſi habent. Filium meum natu maximum, qui in Academia Lovanienſi literis operam dabat, inde abreptum in Hispaniam deduxerunt. Tutum ſe ſcilicet credebat puer jure loci; ſed hoc non curat bonus Vargas. Dolorem tamen iſtum, licet eo, ut privato, maxime afficiar, in minimis pono, multoque magis me infelicis patriæ miſeret, cuius omnia membra ſcelere et immanitate Hispana brevi fracta dilacerabuntur. Sed iſta me co-

cogitatio in fpem erigit, Deum esfe, qui res humanas tuetur. Nonnullum praeterea in eo mihi eft folatium, Belgium, licet multis claris viris orbatum, retinuisfe tamen plurimos, qui bonæ caufæ favent. Quamquam te aliosque, quorum de rebus publicis notior eft fententia, discesfisfe mallem. Patriæ enim accidit, fi quid vobis accidit. Me quod attinet, ut jam faepe oftendi, nunquam vobis deëro. Hæc ad te fcripfi verbofius, et liberius etiam, quam pro more meo, fed novi te patriæ et mei amantisfimum. Quod fi quid eorum, quæ in rem noftram meditor, expediero, certiorem te faciam. Cæterum te etiam atque etiam rogo, ut rebus inclinatis tantum adfis, quantum dignitas tua et fides, et vero etiam falus patiantur. Sic enim habeto, te eum esfe, in quo magnum libertatis robur pofitum esfe femper arbitratus fum. Vale et me ama.

GULIELMUS PAULO BUISIO
P. S. D.

Quamquam fortasfe fama rerum male geftarum ad vos jam fit perlata; tamen, non committendum putavi, ut noftras tibi calamitates non ipfe perfcriberem, præfertim quum tu jure quodam tuo illud a me poftulare posfis. Nam ut omittam cæteras tuas virtutes, quibus patriæ tantum, quantum eft maximum, prodesfe conaris, tantum autem prodes, quantum his temporibus ab optimo cive fieri posfit, illud mihi gratisfimum fecisti, quod de rebus, quæ

apud vos aguntur, non minus celeriter, quam prudenter literas ad me perferendas curaſti. Ineunte igitur hieme caſtra movi. Peditum erant omnino XIV millia, equitum VI. Multos mecum habui, nobiles Germanos et Gallos, plurimos Belgas. Albanus fosſa et vallo ſeptus ad Mæſtrichtum erat. Hunc imparatum ab ea parte, qua minime exſpectaret, adoriri conatus ſum. Itaque Moſam, Mæſtrichtum inter et Ruurmondam, tranſii. De militibus, impedimentis, cæterisque rebus nihil amisſum. Equites enim aliquot ibi poſueram, qui flumen aquarum inhiberent. Hoſtes, hoc audito, perterriti nuntiabantur, adeo ut eos primo impetu profligaturus viderer, ſi ſtatim congredi licuisſet. Sed milites lasſitudine erant confecti. Poſtero die Albanus pugnam detrectavit. Commeatui etiam me interclufit. Quare caſtra ſæpisſime movere coactus fui. Spe pecuniarum promisſarum etiam decidi. Itaque quum nihil expediri posſe viderem, in Galliam magnis itineribus, Hugonotis in auxilium profectus ſum. Obviam mihi quidam venit legatus. Ab hoc admonitus exercitus, ſibi cum Albano tantum rem esſe, clamabat, et in Germaniam, quæ plurimorum eſt patria, reduci, atque ibi dimitti poſtulabat. Cesſi invitus. Mille tamen equites retenui. Comes enim Bipontinus in Galliam ad Hugonotas meditatur, cui cum manu mea accesſurus ſum.

Vides, Paule, me non mea culpa nec virtute Hispani, ſed adverſa fortuna esſe ſuperatum. Et ille tamen Bruxellis ex me triumphum egit. At non hoc illi ſic abibit. Hæc enim me clamitas non fregit, ſed animum addidit, ut quamcunque Deus re-

recuperandæ patriæ offerat occasionem, hanc arripiam. Vale et res nostras, quam potes studiosissime, tuëre.

GULIELMUS MARNIXIO ALDEGONDIO
P. S. D.

Magnam ex literis tuis percepi voluptatem, quibus me diligentissime certiorem fecisti, quæ in concilio Dordraceno acta sint. Quod tantis me laudibus coram senatu Batavo ornasti, fecisti illud pro amicitia nostra, et plusculum forte, quam veritas concessit, amori largitus es. Sed largiare sane, dummodo id ad publicam aliquid afferat salutem. De promissa pecunia mirum quam læter. Hujus enim inopia et conatus sæpe meos retardavit, et multas, nec eas leves, mihi molestias creavit. Simulatque dies advenerit, nec stipendia militibus sint parata, irati sunt et contumaces. Hic magna opus est eloquentia et prudentia. Nihil enim nisi spem præstare possum. Et, quamvis inique, ferunt tamen. Eum enim me omnes norunt; qui, quum habeam, solvere non detrectem. Multa jam de rebus familiaribus vendidi, sumtui tamen unus subsistere non possum. Ab aliis igitur mutuo accepi, aliis usuras pendo. Jamque in multorum ære sum. Et, quamquam molesti non sunt, forte quod bonum nomen existimor, ista tamen in re magnopere mihi ipse displiceo. —— Sed hoc omne, si id, quod spero et quod ago, consequi aliquando velim, feren-

rendum eſt. Atque utinam his atque aliis etiam domeſticis in commodis et doloribus, publicam ſalutem redimere poſſem. Hac enim nihil habeo antiquius. —— Vale et quod facis, me ama. ——

GULIELMUS JOANNI FRATRI P. S. D.

Amo te, frater cariſſime, non ſolum propter ſummam, quæ inter nos intercedit, neceſſitatem, verum etiam, et haud ſcio an magis, propter iſtam tuam in me benevolentiam et liberalitatem, qui nihil fere bonorum tuorum liberum reliquiſti, ut mihi, in contrahendo exercitu occupato, ſuccurreres. Quo quidem facto meum in te amorem, qui ſummus ſemper fuit, ſic confirmaſti, ut nullo tempore labefactari nec inclinari poſſit. Quapropter te quamprimum videre cupio, ut, qui fortunam iterum habuerim adverſam, et præſentia vitæ pericula vixdum evaſerim, curas meas et dolores in tuo ſermone atque ſolatio deponam. Regina, quæ gladiatores Pariſienſes nocte Bartholomæa nuper ad convivium adhibuit, parum a ſe geſtum exiſtimans, niſi et ego cædi acceſſiſſem, Mandeſloum, qui in caſtris meis ſtipendia merebatur, ad necem meam impulit. At ille fidem auro præpoſuit, et rem ad me detulit. — Hiſpanos fere eſt quod laudem; ſaltem ut cum hoſte mecum egerunt. Cunctando et non pugnando victoriæ ſtudere videntur. Nocte tamen media, oppreſſis ex vigiliis, in caſtra noſtra irruperunt. Jamque ad

ad prætorium pervenerant. Hic catellus, ſubito tumultu perterritus, ut videtur, crebris morſibus me petiit, atque ex ſomno ſuſcitavit. Noſti me in caſtris armatum dormire, et ſemper equum habere paratum. In hunc me conjeci, et, quod Deo acceptum refero, manus hoſtiles evaſi. Duo comitum occiſi ſunt. Paucis poſt diebus caſtra movi, Rhenum tranſii, exercitum dimiſi. Milites ſtipendium, cui non eram ſolvendo, flagitantes, hoſti me tradituri dicebantur. Itaque latendum mihi erat. Legati interim cæterique duces, ſpe eos alebant, publica oſtendentes Ordinum teſtimonia, quibus ſe daturos promittebant. Res humanæ ita comparatæ videntur, ut, ſi inſignis nobis eveniat calamitas, aliqua ea felicitatis parte leniatur. Quam prope ab interitu abfuerim, et tu vides, et ipſe frequenter memoria repeto. Deus, Deus eſt, qui me faucibus fati eripuit. Et hæc cogitatio animum aliquanto erigit. Hunc tu porro oratione tua et præceptis confirma, ut luctus et ægritudo aliqua leventur; nec conſtantia mea vi tempeſtatum omnino mihi eripiatur. Nondum omnino excidit. Sed concurſa calamitatum miſerum in modum labefactata eſt et convulſa. Vale. ——

GULIELMUS PETRO VILLERIO S.

Vide quo tandem furor Hiſpanorum eruperit! Aperte me petunt, et per latus meum, patriam noſtram. Vim iis feciſſe videor, eoque mihi nomine aquam

aquam et ignem interdicunt. Me ingratum, perfidum cujuslibet rei ſimulatorem, et perjurum appellant. Me peregrinum, me caput omnium miſeriarum, me peſtem cum generis humani, tum fidei Chriſtianæ vocant. Me Cainum et Judam referre, me adulterum, qui ſanctam uxorem duxerim, alii ſuas ſibi res habere ſiverim, in me denique uno malorum esſe foedisſimam ſentinam. Deinde, quæ eſt Philippi humanitas, me, ut impuri hominis odium, omnibus occidendum dilacerandumque commendat. Illud egregium facinus qui patraverit, huic ingenti fore pollicetur præmio. Huic omnium, quæ admiſerit peccatorum veniam et impunitatem dabit. Hunc nobilitate, ſi careat, donabit. Cæterum omnibus et ſingulis edicit, ne ſuo me auxilio ſublevent, ne tecto excipiant, nec quidquam mecum, aut dicto aut facto, communicent. Qui ſecus fecerint, horum bona publicatum, ipſos morte damnatum iri. — Quod ſi veræ juſtæque hujus in me odii esſent cauſæ, vitam mihi acerbisſimam putarem, nec vitalem. Noſti enim animum meum, mi Villeri, quem tuis ſæpe præceptis et ſolatiis, ex doctrina Chriſtiana petitis, imbuiſti et confirmaſti. Hanc igitur calumniam ea, qua debui, mente accepi.

Magna vis eſt conſcientiæ in utramque partem. Ego, qui nihil commiſi, nihil timeo. At reipublicæ, cujus cauſa hoc odium contraxi, intereſt, ut vivam. Huic parebo, tantumque mihi conſulam, quantum illa poſtulet. Corporis cuſtodia augetur. Dives ſtipendium datur. Ut, ſi minus fide, at pecunia in officio retineantur. Cæterum in amore ac benevolentia liberatæ patria acquieſcam.

Unum

Unum superest, quod ad te spectat, et cujus rei causa has ad te literas dedi. Vulgus plerumque, mi Villeri, ex specie judicat, et pessimus est veritatis interpres. Nimis vereor ne fidem Hispano edicto habeant. Scriptum aliquod parandum atque in lucem edendum est, quod calumniis istis atque mendaciis omnem, si fieri possit, vim et auctoritatem eripiat. Hæc tibi provincia erit suscipienda, et, si me tantum amas, quantum profecto amas, hanc quam diligentissime atque studiosissime geres. Ipse quominus id præstem, negotia, a quibus districtior sum, impediunt. Ut tamen habeas aliquid, quod sequare, rerum capita, quæ libello comprehendi, tibi describenda curavi. Hujus tu libelli accipe exemplum, et res tuas bene ac feliciter age. Vale.

EXEMPLUM LIBELLI CONTRA EDICTUM HISPANUM.

Magni Carolum imperatorem semper feci, atque etiam facio. Beneficiis, quæ mihi præstitit, partim a majoribus meis, partim a me ipso relata est gratia. Philippo nihil est quod debeam. Honor, imperium et dignitas, in me, et binos Comites collata, majore cum dedecore ademta sunt. Quare hæc beneficii loco haberi nequeunt. ——

Regem, quoad amice cum eo vixi, sæpe ad moderationem hortatus fui, et, si perseveraret, omnes istas calamitates, quæ acciderunt, futuras dixi. Nunc palam ut hostis cum hosti, bellum gero, et si

ſi odi, aperte odi. Non hæc profecto ſimultas aut perfidia dici posſunt. At Philippo multis locis diffidens repertus ſum. Si prudentem esſe in vitio ponatur, culpam hic agnoſco. At cui regi magis diffiderem, quam iſti, cujus natio, qualis esſet, in Grenada adverſus Mauros, et in Belgio adverſus Egmondanum et Hornanum oſtendit? ——

Fide et jurejurando, quibus fueram obſtrictus, me ipſa Hiſpanorum perfidia et crudelitas liberavit, atque ad arma capienda incitavit. ——

Videant porro, num ipſi ſimiliores ſint Caino et Judæ. Ex edicto regio conjecturam faciemus. Abjecti ſunt et deſperati, et plane, quo ſe vertant, neſciunt. Quæ alia Caini fuit mens, poſt cædem fratris factam? —— In hoc autem Judam imitati ſunt, ut vim conſcientiæ retuderint. At excitabitur illa, excitabitur, et ultricibus furiarum poenis eos exagitabit. ——

De adulterio ſolus mihi Philippus objecit, quod tamen, etiam ſi esſet verum, neminem minus quam illum decebat. Nam quis ſororis filiam inceſto flagitio duxit uxorem? Philippus. Quis conjugem ſuam jugulavit, ut cum alia viveret? Philippus. Quis nobilem virginem, adulteratam, deinde viro principi obtruſit? —— Philippus. Sed iſta flagitia, ſi ipſe mihi hujus culpæ conſcius esſem, me dedecore et infamia non liberarent. Divortium cum Anna Saxonia feci honeſtum; agnoverunt id ipſius amici et propinqui. Bourbonia nunquam fidem dedit, ſe vitam intra ſacros parietes conſumturam. Dederit vero; dedit certe in prima pueritia. Iſta autem ætate non obſtringit. ——

Pe-

Peregrinus sum. Si eum velis peregrinum, qui in Belgio non natus est, ipse rex est peregrinus; et magis forte, quam ego. Germaniam habeo patriam, quæ multis nominibus cum Belgio arcte fuit conjuncta. Majores mei in Belgio ampla satis bona tenuerunt. Tales autem, si cum Batavis facerent, cives et dicti et habiti sunt. Fuere et ex genere meo comites Gelriæ. Sed ponatur sane patria in muris et parietibus, sim peregrinus. Omnium certe bonorum consensus me civitate Batava donavit. Et idem ille consensus, si rex optimo jure civis esset, cum in Ceritum tabulas referret. ——

De turbarum origine, hæc non ad me referenda, sed ad Hispanici senatus, a rege constituti crudelitatem. Hæc meam misericordiam excitavit. Quidvis enim perpeti maluissem, quam lentus spectare tot millia hominum, religionis calumnia, gravissimis affici suppliciis, ut mors beneficii loco haberetur. Quod si per me stetisset, Albanum ipsis Belgii finibus prohibuissem, et cives incendio, vastitati miseræque cædi eripuissem. —— Hæc objiciat Philippus; mihi ipse laudi duco. ——

Inimicus sacræ doctrinæ nunquam fui. Illud omen Deus avertat, quod ne capiti quidem Hispano sit, velim. Tantum ferre nec potui nec volui, innoxios homines ob ea, quæ nullius damno de religione sentirent, trucidari. Religio, et ipse ille Deus, cui se gratum hac immanitate facturos credunt, ab ista abhorret. ——

Oppressæ in religione multitudini ut vim faceret, nunquam auctor fui, nec templa vastata, nec imagines dejectas probavi. ——

Quod

Quod fupereft, Hifpanas diras et devotiones nihili æftimo. Vivam, quoad Deus voluerit. Patria porro me totum fibi vindicabit. Si qui Batavorum fint, qui me unum ab Hifpanis peti arbitrentur, et libertatem et falutem meo interitu confirmari, pacem et otium reftitui posfe judicent, hofti me tradant. Aequo animo mortem feram, dummodo id patriæ meæ profit.

GULIELMUS MARNIXIO ALDEGONDIO.

Bourbonia mea, cujus incredibilis in me curando fuit amor pietas, et patientia, tandem animi et corporis laboribus defatigata, obiit. Me miferum! Hanc ifta fide, probitate, humanitate e vita excesfisfe? Eumque illam morbum, mihi dies noctesque asfidendo, de mea falute cogitando, meam valetudinem precibus a Deo flagitando contraxisfe! Me convaluisfe, nec potius cum ea mortuum esfe! Mi Aldegondi! —— Quid faciam, aut quo me vertam? Quæ fpes, quæ folatia animum, non dico fanare, fed levare, posfint? Sec enim cogito, me omnium hominum esfe miferrimum. Nequeo plura fcribere. Vis lacrymarum omnes literas deleret. Tu cura ut valeas. ——

VI.

VIGLIUS ZUICHEMUS P. S. D. DESIDERIO ERASMO.

Omnium literis et ſermonibus ingenium tuum et doctrina celebrantur; iisque bonis, maximis illis quidem, majora tamen adjungunt tui amici, ſummam ſcilicet morum probitatem, conjunctam cum pari humanitate. Tales ego homines maximi ſemper feci, neque eos mortuos tantum, ut multi ſolent, verum etiam vivos; eosdemque quamvis nunquam videro, diligo tamen. Quæris, quid ſit, quod me ad diligendum alliciat? —— Virtutis, quæ in iſtis elucet, amabilitas. Ad hos, Deſideri Eraſme, quum te nemo melius referri queat, quantum te amem, conjicere facile potes. Quare te etiam atque etiam rogo, ut me quoque in tuorum numero habere in poſterum velis. Quod ſi vero et Andreæ Alciato, ſummo juris conſulto me commendaveris, duplici nomine optime de me meritus fueris. Hæc, quæ audacius expromſi; eadem coram tecum, ſi fieri potuisſet egisſem. Et ſi parum impudens tibi viderer, quamquam, credo, non viderer, illud partim tuæ humanitati, partim meo in te amori, partim patriæ meæ tribuerem. Homo enim Friſius ſum. Itaque aperte quæ ſentio, locutus ſum. Vale et me ama.

VIGLIUS ZUICHEMUS P. S. D. PHILIPPO REGI.

Ex quo pater tuus mea ſibi opera utendum putavit, hanc ei non ſolum non negavi, verum etiam ita præſtiti, ut amorem, quo illum proſecutus ſum, qui ignoret, arbitrer esſe neminem. Quidquid conſilio, auctoritate, dignitate, et vero etiam prudentia aliqua e re illius efficere potui, omne illud effeci. Ille mihi tuam amicitiam quaſi hæreditate reliquit. Hanc ex asſe accepi. Quare omnem iſtum, quem dixi, amorem, in te tranſtuli, tua commoda, mea duxi, et fortiter ſæpe contra rerum novarum cupidos ſteti. Hæc commemoratio non eſt exprobratio quaſi immemoris beneficii. Gratum enim, ſi hoc uti liceat, ut te credam, faciunt tot honoris et dignitatis in me collata ornamenta, facit illa tua erga me liberalitas; ſed ideo hæc a me dicta ſunt, ut, quæ aperte, et nulla uſus circuitione proferam, ab optima mente esſe profecta judices. Literas nuper ad Margaretham dediſti, eamque de certis hominibus admonuiſti, qui quam recte in ſuſpicionem tuam ceciderint, ipſe videris; ſed ceciderunt. Per fortunas, quæſo tuas, Philippe Rex, ſi ſalus tibi et otium Belgii ſint cordi, utere moderatione et clementia, præſertim in quo religio cernitur. Valde cogites velim has virtutes cum omnium hominum esſe debere proprias, tum maxime regum. Neque te fugit, quanto plura amor, quamvis in civium animos valeat. Da itaque locum lenitati, quod te com-

commodum tuum et ipſa humanitas jubent, et a ſeveritate quam longisſime recede. Etenim ſuſpicor fore, ut hac, quod ſequare, nunquam asſequare. Illud ne accidat omnino cavendum tibi arbitror; neque id ſolum tua ipſius cauſa, verum etiam amicorum, ad quos dolor iſte etiam pertineret. Quare etiam atque etiam vide, quid ſuſcipias, quid ſuſtinere posſis; ut conſilia tua Belgio ſalutaria ſint, et tibi. — Vale.

VIGLIUS ZUICHEMUS COMITI ALBANO. S. P. D.

S. T. V. B. E. Ego ſemper arbitratus ſum, eos, qui in ſummo honore atque dignitate ſunt, id agere debere, ut clementia et moderatione civium ſibi animos concilient. His enim et civitatis et ipſorum ſalus continetur. Non hæc ideo dixi, quod te ea neſcire putavi; ſed in memoriam tantum tuam revocavi, ex qua his temporibus excidisſe aliquantum mihi videbantur. Jam antea, ut vere dicam, gesſiſti ita quædam, ut in iis et omnes et ego lenitatem deſideraremus. Quo facto civium animos a te et a rege aliquantum alienaſti. Quod contra fieri oportebat. Nunc vero et grandes pecunias imperare, deque ea acerbius admonere ſtatuiſti. Cenſeo illud primum ſingulis civibus, deinde toti civitati onus esſe gravisſimum et miſerrimum. Cogita quantum hinc detrimenti religio, leges, artes, et mercatura, nervus iſte Belgii, ſint factura. Fidem mihi ha-

habe, ita, quæ optamus, accidant. Qua mente et quo animo in regem et vos ſemper fuerim, nemini eſt incognitum. Vobis et ſæpe conſului, et nunc conſulo. Animos Batavorum penitus noſco; quum ſim Batavus. Sunt patientes et ſinceri; ſidem ſervant. At ſi injuriis irritentur, virtus eorum excitatur, et vim vi repellunt. Quod ne eveniat, omnino tibi erit cavendum; idque eo magis, quum ſcias, quam nonnulli novis rebus ſtudeant. De pecuniis itaque deſiſte, quæſo; ſin autem, ut ſis moderatior quam ſeverior. Quodſi vero perſeverare velis, meum erit, Philippum orare et precari, ut imitari hic velit Tiberium, qui boni esſe paſtoris cenſebat, tondere pecus, non deglubere. — Vale.

VIGLIUS ZUICHEMUS JOACHIMO HOPPERO. S.

Tandem aliquando ex infinitis negotiis otium mihi perſequi a rege concesſum eſt. Dudum illud concupivi, et propter ætatem meam, et quod foedas tempeſtates Belgio imminentes proſpicere mihi videbar. Hæ antiquam exorirentur, portum tenere volui; neque id vitæ aut ſalutis timore; quid enim omnino timeam, qui ab officio, quoad ejus a me fieri potuit, nunquam diſcesſi? — Sed pudore aliquo et ſuſpicionis metu, ne tempeſtates iſtas una cum aliis excitasſe dicerer. Quamquam ne ſic quidem illud malum evadam. Nam et olim fuisſe noſti, Hoppere, qui me auctorem edictorum calumniati fu-

fuerint, a quibus animus meus ſemper abhorruit. Deum et amicos teſtor, quantopere mihi ſeveritas iſta, ut leniter dicam, diſplicuerit, et quam multa, quæ nolui, viderim! Quæ mea igitur conſilia fuerint, et quam aperte ea cum Philippo et Albano communicaverim, non ignoras. Sed, utcunque hæc, quæ timeo, atque utinam vaticinarer, eveniant, in portu me tamen esſe gaudeo. ——

Interim ingenti cupiditate flagro Friſiæ noſtræ videndæ, a qua tot annos jam abfui. Et hoc deſiderium non mediocriter auxit. Sæpe ultimam pueritia memoriam recordans, animus, ſive lætitia, ſive triſtitia, ſive utraque totus perfunditur, ut lacrimas cohibere vix posſim. Longe maxima ætatis pars effluxit, minima ſuperest. Hanc in Friſia conſumere maxime velim. Ut, quæ primum vitæ actum viderit, eadem videat extremum. Sed de his ſi quid certi conſtituero, ut ſcias, faciam. Vale.

JANUS DOUSA GEORGIO SUO S.

S. T. V. B. E. Ego, et mater tua optima, et carisſimi fratres et ſorores, bene valemus. Quotidie nobis ante oculos tua verſatur imago. Mater interdum deſiderio et ſuo in te amori plus indulget, quam velim. Sed tale ſcilicet mulierum ingenium. Ego diſcesſum tuum, ut patrem et virum decet, fero. Nunquam tamen frequentius iſta Terentii iu mentem venerunt.

Ego, quia non rediit filius, quæ cogito!
Et quibus nunc follicitor rebus. Ne aut ille alferit,
Aut ufpiam ceciderit, aut perfregerit aliquid.

Quare fi bono nos animo et plane confirmato esfe velis, velle autem te magnopere certe fcio, crebris nos literis rerum tuarum certiores facies. Præfertim fi Conftantinopolim adveneris. Inde quam accuratisfime et diligentisfime fcribes. Matri tuæ et fratribus et fororibus accidet jucundisfimum, fi a] te de Turcis aliquid cognofcant. At tu, mi fuavisfime Georgi, magnopere infervi valetudini tuæ; hæc fi in itinere minus fuerit commoda, omni carebis voluptate, nec tam cito convalefces, quam fi nobifcum domi esfes. Omnes te falutant. Vale, mi Georgi, vale. ——

GEORGIUS DOUSA P. S. D. JANO PATRI.

Si tu, et mater optima, et fratres mei et forores fuavisfimi, valetis; ego quidem valeo. Quod tamdiu nihil literarum a me accepifti, hoc non culpa factum eft mea, fed magnis locorum intervallis. Nec multi funt, quibus, fi quid recte curatum velim, id mandare posfim. Nunc autem oblatam occafionem avide arripui; et profecto, nifi arripuisfem, ingratisfimi a te animi merito accufarer. Amorem enim erga me tuum domi nunquam non expertus fui, eundem tamen difcesfu meo aliquantum crevisfe, fi ta-

tamen crefcere posfit, ex literis tuis cognovi. Ita vos falvus et incolumis revifam, ut fignum tuum vidi, exofculatus fum; nec fine multis lacrimis legi et perlegi, ut fatiari vix posfim. Homo, qui mihi epiftolam reddidit, ut quam fæpisfime fcribas, cupere videtur. Adeo liberaliter a me donatus abiit. Subridens etiam me rogavit, quid mea puella ageret. — At figno foluto, legi, nihil refpondi. Optima adhuc valetudine ufus fui. Corpus asfiduis itineribus robur quoddam et vigorem contraxit. Animum, rerum novarum contemplatione earumque varietate fummopere delectatum, habeo lætum et hilarem. Sæpius tamen domus veftræ et patriæ defiderio ita afficitur, ut inde dolorem quendam percipiam, cui ipfe indulgeo et faveo. Cæterum hic ita vivo, ut, nifi in patria, melius vivere non posfim. Domi me fuæ recipit Edoardus Bartonus, orator Reginæ Britanicæ in Turcia; homo optimi ingenii, eaque erga exteros humanitate, et fuos benevolentia, ut nihil fupra. Jam decem captivos, neque eos Anglos tantum, verum etiam Belgas fuis impenfis redemit. Quare magnopere lætor me hic esfe, ubi talem patronum inveni, qui fua mihi officia nunquam esfe defutura ultro pollicitus eft. Literarum elegantias et amat, et de iis optime judicare poteft. Nomen Doufianum, antequam me viderat, habebat cognitum. Gratum mihi feceris, fi rebus iftis, quas Conftantinopolim perferendas cures, quædam opufcula tua adjicias, ut habeam, quo gratum illi animum oftendam. De rebus Turcicis, quas matrem et totam domum avide a me exfpectare dicis, nonnulla dedi, quorum fubfcripfi exemplum. Ea autem potisfimum

ſelegi, quibus eos maxime delectari ſciebam. De reliquis modicum quoddam corpus confeci, quod, ſi Deus velit, domi legendum tibi dabo. Vale et optime et cariſsime pater, et cogita, quæſo, mihi hic esſe optime, præterquam quod non una ſimus.

GEORGIUS DOUSA MATRI SUÆ CARISSIMÆ, FRATRIBUS ET SORORIBUS LONGE SUAVISSIMIS P. S. D.

Me valere et jucundisſime hic vivere, a patre cognoſcetis. De rebus Conſtantinopolitanis, ut optaſtis, a me audietis. Ego ſi in patriam rediero, nos inter nos gaudebimus, quod Batavi, nec Turcæ nati ſimus. — Valete capita ſuavisſima. —

DE REBUS CONSTANTINOPOLITANIS.

Conſtantinopolis, olim Byzantium dictum, a Conſtantino magno nominata eſt. Is imperii ſedem eo tranſtulit. Urbem novis ædificiis, templis, balneis, porticibus ornavit, alia atque alia appetiit loca, eaque munitionibus circumdedit. Mox leges tulit, magiſtratus inſtituit, religionemque Chriſtianam publica auctoritate muniit. Diu Conſtantinopolis floruit. Tandem a Muhamede ſecundo capta, et a Turcis militibus cædibus et rapinis tota fere exhauſta

eſt

eſt. Ab eo inde tempore hic caput imperii Ottomannici fuit. —— Ipſa urbs eſt triquetra, et in circuitu ſatis magna, incolis celebris, cincta ſerie trium murorum, omnium altitudine disſimili. Priſtini ſplendoris et elegantiæ multum amiſit. Domus ligno plurimum exſtructæ ſunt, et adeo humiles, ut in inferiore parte habitari tantum posſint. —— Gynæconitis imperatoris modicam Hollandorum urbem amplitudine æquat, et in ſuburbiorum hic numerum refertur. Procul e mari viſentibus ſilva variarum arborum videtur, his tecta arquata, aureis globis ſplendentia, eminent. — Vita hominum magnis hic periculis eſt expoſita, ut terræ motibus, ſeditionibus, incendiis, et peſti. Horum malorum acerbisſimum eſt peſtis, quod tamen Turcæ minoris faciunt. Illud enim a Deo ſibi immitti, neque ideo ab hominibus defendi posſe credunt. —— Itaque eo laborantibus non asſident ſolum, eorumque afflatu afficiuntur, verum etiam veſtes vixdum mortuorum induunt. —— Veſtes funebres, ſi quis, quem genere attingunt, obierit, non gerunt. In ſepeliendis hominibus mira utuntur celeritate, ut raro mortui, nec intra quinque horas ſepulti ſint. Unde eſt quod credam multos vivos ſepeliri. —— Statura iis plerumque magna eſt et valida. Magno imprimis ſint robore, qui oneribus portandis vehendisque victum quærunt. — Cæterum deſides ſunt et ſtupidi; jactant ſe fide Muhamedis, aliosque a ſe desſentientes alto ſupercilio deſpiciunt. Ingenium porro iners et crudele, nec quod injuriarum facile obliviſcitur. Itaque virtutem ebrietate ſibi parant, eaque virtus in temeritatem cedit. —— Corporis voluptatibus valde dedi

ti ſunt. Divites nihil fere agunt, niſi tabaci fumum, et potum fabarum Arabicarum bibunt, et cum mulieribus vivunt. Legere et ſcribere pauci norunt. Opium valde amant, tantaque hujus copia utuntur, quanta ſi nos uteremur, æternum credo dormiremus. Adeo conſuetudo eſt altera natura. Iſtam autem vim tribuunt opio, ut ſenſibus quaſi tenebras offundat, eosque nec vigilare nec dormire faciat. Tum ſe beatisſimos ſcilicet fingunt, quum parum aut nihil ſentiant. Quantum vero hoc noceat valetudini, ex ſenibus Turcis videmus, quorum plurimi claudi, manci et debiles ſunt. —— Vinum lege Muhamedis iis eſt interdictum. Sed qui uterentur, reperi plurimos. Brevi res eo perventura videtur, ut jus vini bibendi certa pecuniæ ſumma emi posſit, eaque pecunia ærario inferatur. Cauſa certe honeſta eſt. — Habent et monachos ſuos; quorum nonnulli ex inſtitutis ſuis, ad ſonum muſicæ, turbinis inſtar vertuntur, ut vertiginem, id eſt ut illi explicant, numine inflammatam mentem nanciſcantur. —— Feſtorum, quæ agunt, præcipuum eſt ſic dictum Ramazan, in honorem novæ Lunæ. Hoc ſingulis novem menſibus celebrant. Per dies cibo et potu omni omnino abſtinent, eosque dormiendo plurimi tranſigunt. Noctu autem vivunt et genio indulgent. Vix a templo ſanctæ Sofiæ ſignum datum eſt ſolem occidisſe, quin omnes, quaſi uno impetu fiſtulas, tabaco jam repletas, incendant. —— Mulierum apud Turcas miſerrima eſt conditio, eaque ab ipſo legiſlatore videtur esſe deducenda. His enim locum in coelo non concesſit, ſed alium quendam a virorum ſocietate ſegregatum. Viris tamen, ne iſta re carerent,

rent, cui dediti sunt magnopere, alias, coelestes formas, quibuscum vivant, promisit se daturum. Itaque Turcæ uxorum utilitatem et præstantiam sola voluptate et necessitate metiuntur. Severissimum in eas exercent imperium, et in interioribus ædium partibus servant. Quatuor uxores cuique licet ducere. Reliquæ sunt servæ, et emuntur et venduntur. Multi tamen, qui plures alere nequeunt, unam uxorem habent. Imperator licet quingentas habeat, quatuor tamen pro suis agnoscit, reliquæ sunt servæ. —— Gynæconitis illius multas ex provinciis accipit mulieres, forma præ cæteris insignes. Has eo mittunt satrapæ, ut ab Imperatore gratiam ineant. Quænam sit in ista Gynæconiti, præsertim in interioribus ejus partibus, vivendi ratio, ignotum est. Hæc enim pars a servis fusco colore et facie turpissima servatur. Horum præfectus est in magna auctoritate. Mulieris autem a quoquam videri, nefas habetur. Quod si ambulare velint, locus eo electus, velis, quasi muro circumdatur. Deinde et custodis excubias agunt, ne quis intra teli jactum accedat. —— Uxoris infimorum et mediorum Turcarum in publicum sæpe prodeunt. Sed in eas nemo peregrinus, si tutus esse velit, vultum convertat. Neque tanto timore dignum præbent spectaculum. Ex omni enim vultu nihil nisi oculi et os apparent. Reliquum caput linteo obvolutum est, ut adeo in hortis nostris egregiæ avium formidines essent. —— Hæc de rebus Constantinopolitanis. ——

JA-

JANUS DOUSA JACOBO FILIO
P. S. D.

Homines ingrati qui ſint et habeantur, tibi incognitum esſe non poteſt. Meminiſti quam pulcre et ſubtiliter de hoc vitio diſputet Socrates apud Xenophontem. Hæc vobis pueris olim quum explicarem, et vos Socratis orationem magnopere laudaretis, libro ſepoſito, quam potui accuratisſime oſtendi, quæ liberorum esſent officia, ut erga parentes quam gratisſimi nominari posſint. Quum dicendi finem fecisſem, vos omnes verbis meis commotos non ſine voluptate videbam; quæ non mediocriter eo aucta eſt, quod ultro mihi omnes pollicebamini, vos per vitam veſtram id acturos, ut et Socratis et mea præcepta ſancte ſervaretis. Cæteri fidem ſervarunt. Tu violaſti. Sæpius te et ego et mater tua lacrimantes admonuimus, et te per fortunas tuas oravimus, ut vitam iſtam liberam et disſolutam emendares. Tu vero laudas et probas meliora, deteriora autem ſequeris. Cauponas quotidie inviſis, ſtrenue potas, alea ludis, ut unum tantum deſit, quod tamen plenumque ſequi ſolet, vita ſcilicet impudica. Quænam, obſecro, eſt, quam tu inde tibi percipere videris, voluptas? —— Quibus ſermonibus, dum vino vobis nondum excidiſtis, delectamini? Evadisne iis doctior et melior? Jam quid alea perniciofius, quid indignius? Animus tuus unice eſt ludo intentus, et ſpe, metu, et expectatione agitatus, omni caret tranquillitate. Non enim curas ve-

veſtras et cogitationes in cauponis tu et ſocii tui, relinquitis. Imo hæ vos domi, hæ foris, hæ vigilantes, hæ dormientes ſequuntur. Fratres interim tui magna alacritate bonis literis ſtudent. Illi gaudio mihi ſunt et honori, vitamque agunt honeſtisſimam; quotidie diſcunt aliquid et agunt, quod tacitam juvet conſcientiam; ut jam nunc perſpicere posſim, quales illi olim cives ſint evaſuri. At tu nec tibi nec mihi, nec patriæ conſulis. Compara quæſo, tecum fratres tuos. Vide quantum illis pietate, mei amore, cætorisque virtutibus ſis inferior! Hæc ſi attente cogitaveris, non te ita malevolum aut pertinacem futurum credo, ut vitæ te tuæ non pigeat pudeatque. Adhuc judicis perſonam gesſi, nunc audi patrem, fidelisſime tibi ſuadentem. Domi habes exemplum, quod ſequare; idque eo facilius, quo magis quotidie ante oculos esſe tibi posſit. Deinde amicitiæ illæ tuæ non uſus remisſione disſuendæ, ſed plane diſcindendæ ſunt. Hinc, mi Douſa, ut ſæpe jam dixi, caput tuorum erratorum, et noſtræ ſollicitudinis. Hoc unum ſi feceris, et me in poſterum tibi conſulentem audieris, omnia quæ imprudens commiſiſti, tibi ignoſcimus; et hic, quem ex te percipimus dolor, amoris erit integratio. Age itaque, errata ætatis tuæ vita meliore emenda. Et, ſi te novi, emendabis idque et tua ipſius, et parentum, et fratrum tuorum cauſa, qui te omnes, ut ſe ipſi, amant. Vale.

JA-

JACOBUS RYKIUS GULIELMO PRINCIPI S. P. D.

Quam injuſte exſilio multatus ſim, et tu, et omnes, qui Batavi magis ſunt quam Hiſpani, perſpicitis. Civibus tamen meis hanc injuriam ignoſco. Quod ſi enim ſeverius et cupidius quid faciant, faciunt, illud partim timore, partim officii quadam opinione. Hiſpanis non ignoſco, imo eos, tanto odio perſequor, quanto ii digni cenſentur, qui optimam nationem decipiunt, opprimunt, et vexant. Quare, quum tu in patria noſtra liberanda ſis occupatus, et pecuniæ inopia laboraveris ſæpe, miſi ad te hanc pecuniæ ſummam, qua ſi conſilia tua aliquantum adjuvero, magnopere erit quod læter. —— Bene vale.

JACOBUS RYKIUS UXORI CARISSIMÆ P. D. S.

Varii rumores ad vos perferuntur, ut ſcribis, ſed ſine iis auctoribus, quibus fidem habeatis. Sæpe jam me occidiſſe aut captum eſſe ab Hiſpanis nuntiatum eſt. Unde metus et ſollicitudo tua tanta eſt, quantus in me amor tuus. Ego quum te in his miſeriis vivere cogitem, et orbatos quaſi patre liberos mihi proponam, maximo dolore cruciatuque afficior. Quam caros enim vos ſemper habuerim, dice-

cere non attinet. Sed civis ſum Batavus, et patriam amo ac diligo, quæ una uxorum, liberorum, propinquorumque caritates complectitur. Itaque quod huic præſto, vobis præſto. Nec tu tam parvi animi es, quæ otium et ſalutem publicam privatæ non anteponas. Exſilium itaque meum forti et conſtanti mente perfer, liberis noſtris, ut facis, proſpice, et ſi curis aliquando per te reſiſtere non poteris, præcepta ex ſacris literis pete, quibus ſemper magnopere delectata fuiſti. Conſolabitur et te pater tuus, homo inſigni pietate et tali animo, qualis ab ætate ejus vix ac ne vix quidem exſpectari posſit. Ego quamquam mortem timere dudum deſtiti, tantum mihi cavebo, quantum me pietas et officium jubeant. Famæ ne nimis credas. Inimici enim mei iſta, quæ volunt, ſpargunt, quæ nolunt, tacent. Quæ gesſimus a patre cognoſces. Vale uxor carisſima, et me prorſus animo animo esſe bono et confirmato puta, ſi tu ſis.

JACOBUS RYKIUS PATRI SUO.
S. D. P.

Res noſtræ ſic ſe habent. Nuper ex Anglia, quo ut ſcis Briela contenderam, Vlisſingam veni. Londini duorum Hiſpanorum opera adjutus ſum, et multos cives, patria carentes, ſuſcepi. Ibi comes Leiceſtriæ, quo meliorem aula adulatorem vidit, neminem gratiam reginæ captans, nomen meum, cujus criminis ipſe videat, detulit. Dies dic-

dictus.' Ego quid facerem diu dubitavi. Sed causa fidens, reginam adii. Hæc amice mecum decapta a nobis Briela, et de Gulielmo collocuta est. Deinde, ne in Anglia quidquam turbarum, atque inde me quam celerrime reciperem, admonuit. Itaque Vlissingam petii. Inde præsidia a civibus erant ejecta. Horum animos adventu meo mire confirmavi. Venit et eo cum navibus aliquot, Petro Pacieco, homo in exercitu Albani magnæ auctoritatis. Is omnium rerum, quæ gerebantur, erat ignarus. Quem ut e nave egredientem procul vidi, statim adii. Ille contra, me salutandi causa id facere ratus, obviam procedit. Interim magna hominum undique confluentium turba cinctus, ex horum vultu et gestibus, quæ sint, comperit. Itaque ignarus quo se verteret, aut quid faceret, anulum de digito detrahit; eumque osculatur, deinde mihi magna cum honoris significatione tradit, seque mihi se dedere, dixit. Ego in vincula eum conjici jussi, ut a plebis furore defenderem. Sed animi sunt atrociores, quam ut Hispano parci possit. Itaque jam pendet. —— Brevi civitates vicinas liberare conabimur. Tu per me omnia scies, quæ putabo te scire oportere. Merentur illud cum virtus tua et constantia, quæ nisi ætas prohiberet, signis te et castris ostenderet, tum prudentia et consilium, quibus domum meam ita regis et constituis, ut ipse pater melius non possim. Vale. ——

JA-

JACOBUS RYKIUS CARISSIMO PATRI.
S. D. P.

Narro tibi, carisſime et optime pater, vivo. Quum fortasſe et tempus et ratio dolórem veſtrum jam diminuerint, ecce vobis, quaſi ab inferis excitatus, redeo. Omne autem illud tempus, quo vos falſo rumore decepti, me ut mortuum luxiſtis, ita vixi, ut ſociorum ſæpe fortunas laudarem, qui in proelio, in quo captus ab Hiſpanis ſum, honeſte occiderunt. Nunquam equidem cogitavi, hominem tot miſerias et calamitates perpeti poſſe, quot ego perpesſus ſum. Et tamen vivo, et ſenſim convaleſco. Medici, niſi bene confirmatum, me abire non ferunt. Cis paucos dies tamen id fore ſpes eſt. Quæ mihi evenerint, ubi fuerim, quando rediturus ſim, brevi a me cognoſces. Vereor enim ne nunc animus a dolorum commemoratione nimis abhorreat, et ſic vulnera recrudeſcant. Tu ſuavisſimam uxorem, et liberos carisſimos de me prudentisſime admonebis, ne ſubita lætitia opprimantur. Vale optime pater, et me, ut quondam, ama. ——

JACOBUS SIMONIDES RYKIUS PATRI SUO.
P. D. S.

Vos valere et cupide me exſpectare, ex literis tuis cognovi. Ego ambulando, abſtinendo, quie-

ſcendo, priſtinam valetudinem recuperavi. Ab altera tamen capitis parte ſurdus ſum. Sed hæc quomodo acciderint tibi narrabo. Mondragonius, homo fortisſimus, in Zelandia, non procul ab urbe Thola, nos in fugam conjecerat. Multi meorum præfectorum cecidere; ipſe graviter vulneratus, et multitudine protruſus, in aquam me immiſi, et nando evaſisſem, hanc enim artem pulcre calleo, niſi vortice fuisſem correptus. Quod ubi videbant hoſtes, me vivum etiam ceperunt. Ex vultibus eorum lætitiam videre mihi videbar, quam ex hac re percipiebant. Mors crudelisſima erat ante oculos. Primum Antwerpiam, inde ad arcem Vilvoordanum, et brevi poſt Gandavum deductus fui. Gandavi in publico carcere eſt locus, quæ Sedes imperatoris appellatur; adeo anguſta et humilis, ut erecto corpore ſtare non potuerim. Eo nullum intrat diei lumen, quo triſtitia captivorum non mediocriter augetur. In has ego tenebras dimisſus, ſeptem menſes conſumſi. Nulla ſpes erat fugæ. Gravisſimo catenarum pondere manus et pedes coercebantur. Noctes atque dies cuſtodes ad fores ſtabant. Et hæc quidem erat crudelitas. Sed vide quam iſti crudelitati, in captivis vexandis accesſerit ingenium. Eligendum mihi erat unum cibi et potus genus, quo, ſine ulla varietate, miſeram vitam ducerem. Ego, qui ſubito terrore vix apud me eram, vitulinam et vinum quoddam tenue elegi. Quantopere jam ſtomachus ab his faſtidiat, et aures etiam a commemoratione abhorreant, dicere vix posſum. Quoad vivam, cavebo, ne hæc videam, multo minus edam. Ut tenebrarum ſaltem moerorem evi-

evitarem, lumen in carcere accendi. Id curabant custodes, in hoc saltem humani. Sed vellem omne illud tempus in tenebris egissem. Hujus enim luminis vapor, angustiis loci inclusus, adeo aures affecit, ut jam una nihil omnino audire possim. Cæterum animum nunquam omnino dimisi. Quum te, uxorem, et liberos cogitarem, ingens me dolor invasit; quem lacrimando levare frustra sæpe tentavi. Lacrimari enim non poteram. Quæres quibus me rebus consolabar? Quotidie sic mecum: Mors omnium malorum est finis. Hanc Hispani, invito Deo, negare mihi non poterunt. Hæc, etiamsi liber in patriam rediero, et deinde cum uxore, liberis et propinguis aliquamdiu vixero, tamen est subeunda. Quod quam breve forte erit? Sed sit sane longissimum? Quid est omnino longum, in quo est finis aliquis? Itaque solam æternitatem, et communem illum hominum patrem ac judicem, Deum, tibi propone. Ille, quem nihil rerum humanarum latet, novit, qua mente quo animo arma ceperis, et quo jure quave injuria, in tantas ab Hispanis miserias sis demissus. —— Ille omnibus, quæ in patria tibi sunt carissima, pro incredibili suo amore, prospiciet. Sed quum eo cogitationibus pervenissem, nescio quomodo istis consolationibus, quem dixi, dolor repugnaret. Quare interdum optabam, ut, qui ex meo interitu cruciaretur, haberem neminem; nec tales præsertim, qui cariores mihi sunt, quam ipse sum mihi. Sed profecto omnia Dei Consilia sunt sapientissima. Nunc enim dolor iste, quum vobis redditus sum, pari lætitia compensatur. —— Hispani, quum viderent

rent me malis non ſuccumbere, et corpus etiam ab animo vires accipere, mortem minati ſunt, niſi Gulielmum deſererem, idque jurejurando confirmarem. Ductus igitur in locum editum, ubi ſontes ſupplicio affici ſolent, duo commilitones meos, capite abſciſſo, jacentes vidi. Ego, quamquam tota mente atque omnibus artubus contremiſcerem. „ Vos, quid faciatis, videte, reſpondi. Ego quidem a cauſa, quam tueor, nunquam diſcedo." Interim varii e multitudine, quæ confluxerat, audiebantur rumores. Supplicium prolatum eſt. Brevi poſt, Gulielmo operam dante, et omnia conante Mondragonio, cujus magni intererat, ut ego liberarer, juſſu Albani mihi, quo vellem, eundi poteſtas data eſt. Hæc ad te accurate perſcripſi, cariſſime pater, quorum omnium uxorem facere certiorem non attinet. Noſti hujus ingenium. Vos me nono abhinc die videbitis. Ego ſi te aut uxorem aut liberos vel medio in foro videro, vos exoſculabor. O beatum diem! quanto teneor deſiderio. Vale. ——

FLORIS MONTIGNIUS P. S. D. GULIELMO PRINCIPI.

Quæ de rerum ſtatu cogitaſti, quæ eſt prudentia tua, vere cogitaſti; eaque, niſi caveamus brevi eventura ſuſpicor. Philippo, quum nuper in Hiſpaniam a Margaretha eſſem miſſus, omnia, ut erant, expoſui; populum eſſe offenſum, edicta ſua non pro-

probari; milites ſuos, quos ſe hinc deducturum promiſerat civibus graves esſe et moleſtos, ærarium exhauſtum, Granvellam ſuperbia et dominatus cupiditate omnibus inviſum. His malis ut proſpiceret, et pecunia nobis ſuccurreret, petii. At bona verba dedit, pecuniam non dedit, nec de cæteris quidquam præſtitit. Non curat nos Philippus, quibus ingentes pecunias abſtulit, easque in ſuum ærarium intulit. Ille nobis deesſe cives arbitrans, quibus nos credamus, barbaris ſummas poteſtates dedit; et iſti homines nos velut imbellem populum deſpiciunt, ridentes, ſe Batavos credulos tam pulcre circumvenire. Hoc videt Philippus. Videt autem? imo etiam, dum tacet, probat et laudat. Nos, dummodo ipſe vivat et regnet, nullo habet numero. Rem ſic ſe habere tu multo ante dixiſti, quo tempore fidem tibi negavi. Nunc, quæ non audivi, non ab aliis accepi, ſed ipſe vidi, non posſim non credere, et ſummopere indignari. Quare me ad conſilium veſtrum libentisſime adjungo, nec, quantum a me fieri posſit, unquam vobis deëro. Vale et me ama. —

FLORIS MONTIGNIUS P. S. D. COMITI HORNANO, FRATRI CARISSIMO.

Scripſimus nuper ad Margaretham ego, et alii, qui nobiſcum faciunt, ſatrapæ, nos a ſeveritate edictorum Hiſpanorum abhorrere, eaque patriæ noſtræ perniciosa arbitrari. Deinde, niſi Philippus

 ali-

aliquantum remittat, nos muneribus noſtris abdicare decrevimus. Cui enim bono hæc gerimus? aut quam inde utilitatem reſpublica capit? Hiſpanam dominandi libidinem et vim adjuvare debebimus. Unum, quod ab iſto propoſito nos deterreat, eſt, quod alia mitigare, ad alia connivere poſſimus. Sed cavebit hoc illud impuri hominis odium, quem malitia ſua tam lynceum reddidit, ut nihil fere ſit, quod non perſpiciat. Hic niſi ſe in Hiſpaniam recipiat, timeo quo tandem hæ ſimultates ſint erupturæ. —— Vale.

FLORIS MONTIGNIUS COMITI HORNANO P. S. D.

Dolui quod convivio noſtro, quod obire diligenter ſoles, intereſſe non potuiſti. Coenabamus apud Goſparum Schetrium. Amici frequentes aderant, et ad multam noctem una fuerunt. Omnium animi ad lætitiam et hilaritatem erant compoſiti, et, quod dictu mirabile, his temporibus ridere potuimus. Hoc faciebant minuta vini præſtantiſſimi pocula, quæ vacua ſæpius, quam plena conſpiciebantur. Gulielmus noſter hic etiam Neſtorem retulit. Orto de Granvella ſermone, isque a malis ad ova duravit, alius alia ejus vitia enarrare, ut avaritiam, libidinem, dominandi cupiditatem, ſuperbiam.

Tandem omnes in eo convenimus, ut, quanti illum faceremus, publice oſtenderetur, idque ratione

ne ridicula. Sententiis divisis, Egmondanum, qui et magisterium tenebat, ad convivos referre jussimus. Hujus hæc fuit sententia, ut servi cujusque atris vestibus essent induendi, eæque in dextra brachii parte stultitiæ galero variandæ. In hanc omnes pedibus ierunt. Itaque brevi Granvellanum deridendum dabimus, ut a prætereuntibus digito servi nostri monstrentur, et dicatur: „ Hic ille est." At hæc ad se pertinere dissimulabit. Dissimulet sane. Cives autem hoc factum vultibus probabunt, et ad eum referent, ut adeo, quum tacent, clament. Granvella enim nulli non odiosus est. Quare admiror hominis incredibilem audaciam et impudentiam, qui, quum hæc videat, discessu tamen suo malorum stirpem et semen non tollat. —— Vale, et quam potes, celerrime ad nos redi. ——

FLORIS MONTIGNIUS P. S. D.
GULIELMO SUO.

Ego si detestabili facinore patriam prodidissem atque omni scelere dilacerassem, merito tanta cura et tam infeste servarer. Nunc, quod eidem patriæ, quantum potui, prodesse fuerim conatus, hæc patior. Quid de me fiet, nescio. Sed vereor ne in patriam unquam sim rediturus, atque adeo suspicor fore, ut brevi sim cum fratre carissimo. Hujus miserandum interitum ex rhapsodiis mendicantium Batavorum cognovi, qui mihi industria illud egisse videntur, ut ego certior fierem. ——

 Sæ-

Sæpe enim carceri meo adſtantes, eadem noſtro ſermone recitabant, et redeuntes iterabant. Quare e carcere tentavi fugere. Sed fruſtra. Unus cuſtodum, habeo enim octo, pecunia a me jam erat corruptus. Hic rerum, quæ agebantur, certiorem me fecit per epiſtolas, pani inſertas. Nactus eram limas, quibus cancellos ferreos perfringerem. Habebam funes, quibus pro ſcalis uterer. Sed ſubito omnia patefacta. Panis, in quo latebat epiſtola, errore ad alium perfertur. Is rem detulit. Id nunc infeſtius fervor. Modo ſervus meus non mediocriter timorem meum duxit. Coenam parabat vultu tam pallido et triſti ut nihil ſupra. Manabat ſudore. Tremebat toto corpore. Ego, rectene ſe haberet, rogavi. Lectum modo ſe conferret. Ipſe mihi proſpicerem. At ille præ lacrimis nihil potuit reſpondere. Ex ſingultibus tamen hæc mihi verba deprehendere videbar. „ Maleficus Proditor." — Hæc quid ſibi velint non intelligo; ſed illud intelligo, mortem mihi inſtare. Vale et me ama, —

FLORIS MONTIGNIUS, CIVITATIS BATAVÆ LEGATUS AMICIS SUIS LONGE CARISSIMIS P. S. D.

Has literas quum accipietis, ego, ille legatus et tutus ſcilicet hoc jure, jam periero. Mortem veniş concepi. In cibo, quem mei ipſius ſervus mihi appoſuit, ſed metu et miſericordia amens, latuit ve-

venenum. Dominum suum necare jussus est. Diu dubitavit credo, utrumne suam salutem meæ postponeret. Sed quid de mea salute loquor, quæ forte unius horæ fuisset ad vitam accessio? Itaque laudo ejus consilium. Quod si enim ille non fecisset, mille Hispani, qui facere vellent, ultro se obtulissent. Forte etiam morientis Montignii spectaculo frui voluisset Albanus. Quod mihi etiam miserius. Hoc enim tetrius et detestabilius monstrum aut prodigium usquam esse aut fuisse suspicor nullum. Ille ut omnium scelerum dux atque auctor est, sic etiam hujus. Ille me vetulæ matri, ille conjugi, ille liberis, ille patriæ, ille amicis ademit; idque veneno, causa indicta, in carcere Hispano. Utinam publice in patria mea ad mortem ductus, et eo loco, quo sacra illi fiunt quotidiana, securi essem percussus! Civium adspectus animum mihi prius adderet, et Hispano gladiatori omnia facinora sua, quibus divina atque humana jura violavit, exprobrarem. Sed hoc cavit mens illius provida. Itaque in carcere lenta et inhonesta morte occumbo, et animum sensim exeuntem sentio. O facinus indignum et impium! Bis mori mihi videor, quod ab Albano morior. Suæ illæ bestiæ, quas, quam ipsa natura, crudeliores reddidit, me dilacerassent vellem, modo ne ipse. —— O felicem Theramenen, felicem Socratem, felicem Julium Canum, felicem Pætum! Illis amici, huic uxor aderat. —— Me qui consoletur nullum habeo. Me autem ipse consolari nequeo. Sed dent mihi Albanum. Ille, qui vulnera fecit, eadem sanaret. Hoc enim haberem solatium, quod mecum periret. His eum ma-

nibus dilacerarem, pectus reciderem, ipſum cor dentibus arroderem. Hoc in figura hominis immanitas belluæ meretur. Sed quis horror omnes artus occupat? O incredibilem doloris vim! Manus officio ceſſant. . . . .

Tandem febris paulum remiſit, ſed, opinor, ut mox impetu majore, eoque extremo ſit reverſura. Jam, quum apud me ſim, eorum, quæ de Albano ſcripſi, fere pudet. Hæc mihi injuria et vis morbi, non ingenium meum aut voluntas expreſſit. Ille ego ſum, qui hoſtibus etiam capitalibus ignoſcere poſſim. Quamquam cui ignoſco? Illi, qui, ſi id audiat, ſenſum humanum induat, et cæde inſontium deſiſtat, nec potius novo furore inflammetur? At ſi miſero homini mentem atque conſilium Deus eripuerit; ſi ſe ſacerdotibus ſuis non ducem, ſed comitem præberet, ſi denique ſuum eſſe officium cenſeret, homines religionis ergo veneno occidere? Cauſa honeſta, niſi leges violaret, cives ferro igne et veneno deleret, et nihil neque divinum neque humanum penſi haberet. Hæc, tu Albane, religionem appellas? —— Sed de his olim videris, quum a te Deus factorum tuorum rationem exiget. Ego, quod in me commiſeris, tibi ignoſco. Hanc vocem, ut vere atque ex animo ederem, tandem evici. Evicit ille Chriſtus, qui omnibus contumeliis vexatus, omnibus doloribus cruciatus, tandem demiſſo capite e cruce proſpiciens, inimicis ſuis ignovit, et Deum, ut ignoſceret, rogavit, quod, quid facerent, neſcirent. Et hoc ille fecit, qui nullius ſibi culpæ erat conſcius. Ego, qui ſæpe et multum peccavi non fa-

facerem? Sed artus frigore rigent; tenebræ oculis offunduntur. Vos amici valete, et si me amatis, ut facitis, desiderium mei vos a liberanda patria nunquam abstrahat. Valete. ——

PETRUS ADRIANIDES WERFIUS P. S. D. GULIELMO.

Quæ rogatu tuo a me facta sunt, brevissime scribam. Plures ad me exsules venerunt, quam aut ego aut tu cogitabamus. Omnes fere in magistratu fuere. In iis nec majorem virtutem, prudentiam nec studium desideres. Operæ pretium est eorum de patria et Hispanorum tyrannide audire sermones. Quare prope est, quod me orationis meæ pudeat, quam subito habui, ut animos scilicet confirmarem. Sed non defugio nimiæ sedulitatis opinionem, dummodo, quod ad rem pertineat, nihil a me prætermittatur. Pecuniam satis magnam paratam habuere; majoris spem præbentes. Boni cives a nobis sunt. Qui contra stant, faciunt hæc, opinione magis officii et religionis, quam odio tui. Urbium magistratus in imperio manent amore civium, quod his publica, quam privata sorte melius consulere possint. Callide tamen quæ sentiunt, dissimulant. Habent enim collegas, quorum alii aurum patriæ præponunt, alii causam nostram non probant. Hos ad voluntatem nostram facili negotio perducemus; si hunc iis errorem extorserimus. Disceptant quo jure hæc aggrediamur. Fac nullo. Quasi jure cum eo hoste

hoſte agendum, qui, quo jure agat, ferat, occidat, ne cogitat quidem. Ego ut iſtæ pecuniæ dicto die ſolverentur, vas factus ſum. Arma brevi erunt parata. Cis paucos dies tecum ero. Vale et res tuas bene age.

PETRUS WERFIUS GULIELMO P. S. D.

Dulcis eſt periculorum præteritorum ſecura recordatio; neque iis ſolum, qui perfuncti ſunt, ſed horum etiam amicis, qui æque atque ipſi gaudent, et quibus cum omnia ut ſecum, audent loqui. Hollandiæ magiſtratus habuere concilium Delphis. Miſſus eram cum pecunia, qua militibus Markianis ſolveretur ſtipendium. Markius autem, ut nos putabamus, non procul Harlemo habebat caſtra, ut vero tum cognovimus, ab Hiſpanis in fugam erat conjectus. Secundo a Leyda lapide ſubito Hiſpani nos adoriuntur. Milites, qui cuſtodiæ loco nos comitabantur, reſiſtebant fortiter. Ego in curru eram. Auriga, qui frena tenebat, vulneratus dejiciebatur. Ego unum ex cuſtodibus noſtris, precibus, vi, promisſis, coegi, ut, frenis arreptis, currum Leydam dirigeret idque omni uſus celeritate. Eo ſalvi pervenimus. Riſisſent profecto Hiſpani, ſi hac præda potiti, id nobis eripuisſent, quo pluribus locis, quam aqua et igni, opus eſt. Nunc, quum pecunia noſtra non posſint, ſpe, quam de ea conceperant, ſe alant. Vale. —

PE-

PETRUS WERFIUS LAZARO MULLERO, MILITUM PRÆFECTO S. D. P.

Ex quo curandis exercituum alimentis fui præfectus, magnam adhibui deligentiam, ut militibus bene prospiceretur. Magni etiam interesse reipublicæ putavi, ut in omnibus me parcum pecuniæ præberem. Sed magno cum dolore meo vidi, hanc parsimoniam aliis peccandi occasionem præbere. Quod cum ipsis turpissimum, tum patriæ perniciosissimum est. Hos tu certiores facias velim, me fraudis suæ esse conscium; eosque meo nomine admoneas, ut, quæ furati fuerint, dicam enim quod res est, partim ære suo, partim majore in fungendo munere diligentia, restituant. Si secus fecerint, nomina illorum furti deferam; et sic severissime in se animadversum iri credant. Vale. —

JANUS SECUNDUS PETRO CLERICO P. S. D.

Amicitia nostra corroboratis aliquantum et confirmatis utriusque ingeniis et ætatibus constituta est; tibi forte tempestiva, mihi sera. Eadem a teneris unguiculis inter nos fuisset vellem. Pilæ et trochi una a nobis fuissent depositi, amor mansisset; isque vetustate dudum eam nactus fuisset suavitatem, quam

quam nunc percipere incepimus. Ab eo autem inde tempore nihil fecimus aut cogitavimus, quod alter cum altero non communicaverit. Primum tamen ætatis meæ actum notiorem tibi reddam; cum quod tuam mihi pueritiam prior expofuifti, atque idem jure tuo a me poftulare potes; tum quod libentisfime hanc mihi ætatem in memoriam revocare foleo. Videbis etiam hinc fummæ animorum et ftudiorum confenfioni noftræ nihil unquam defuisfe. — Majus mihi fupererat otium, quam ut hoc omne ludo tribuere posfem. Itaque temporis fallendi caufa excogitabam varia; nunc pingebam, nunc ex cera aut argilla fingebam imagines, nunc fculpebam, et, ut varium eft puerorum ingenium, multa aggrediebar, nihil perficiebam. Nulla itaque in re acquiefcere potui. Sentiebam tamen exfiftere aliam quandam rationem, qua tempus utiliter et jucunde collocari posfet. Alios fæpe legentes aliquid aut fcribentes videbam. Ego aliquando fic mecum: Quæ tandem eft ifta voluptas, quam illi percipere fibi videntur? Quid? Si et ipfe hujus periculum facerem.

Feci, et dictu incredibile, quod fubito mihi hinc exortum fit gaudium. Primum tamen, ut uni libro ad finem inhærerem, vim aliquam inferre mihi debebam. — Inprimis delectabar itinerum defcriptionibus, brevibus hiftoriis et fabulis; credo, quod harum rerum argumenta animum non ita pofcant intentum. Interim non folum has, quas dixi, horas, fed etiam ipfas, quas ludo tribuebam, ad legendum mihi fumebam. Res miras et novas fociis narrare geftiebam; neque eo gaudium mediocriter crefcebat. Imo ip-

ipsos ad legendum incitabam. —— Deo autem maximas semper ago atque habeo gratias, quod talem mihi parentem dedit, qui non corpori tantum, sed animo etiam optime consuluit. Hic enim discendi meum ardorem prudentia sua et monitis ita rexit, ut ex eo maturos fructus perceperim. Hæc adhuc eram. Latinas literas nondum cognoveram. Ad has discendas, quod et patris voluntas et animus meus ferebant, in ludum missus, eum me præbui, ut magistris probarer. Hic tamdiu didici, quoad me, quantum profeceram, non poenitebat. Cæteris hunc studiorum cursum celeriter perfecisse videbar; mihi, si hunc amore meo literarum Latinarum metiar, lente satis. Præceptoribus usus sum talibus, quales qui nanciscantur, beatos prædico. Mira in omnibus comitas et humanitas, eadem gravitas; summa literarum Græcarum Latinarumque scientia. Erant in omni sermone copiosi et facundi; omnesque mihi elegantias et, quæ propria sibi quæque habet lingua, tam perspicue exponebant, ut semel audita non facile oblivifcerer. Quum itaque de Latinis literis judicare poteram, continuo optimos quosvis auctores legi; poëtas inprimis, his enim semper magnopere fui delectatus. Quotidie itaque Catullum, Tibullum, et Ovidium, et præsertim Propertium legebam. Sunt enim cæteri suis quidem quique meritis spectandi, tamen Propertius nescio quam varietatem suavitatemque habet, qua ad ipsam naturam proxime accedit. Horum lectione quum stylum formaveram, ipse interdum componebam aliquid, quod, quibus ostendebam, displicere non videbatur.

Ab

Ab eo inde tempore, ut tandem de me ipſo dicere deſinam, hanc artem in delitiis habui, quod in rebus adverſis tribuat mihi ſolatium, in ſecundis lætitiam; quod domi delectet, non impediat foris, quod denique mecum ruſticetur, peregrinetur, (*) equitet. Habes, Petre, quæ a me petiſti. Laudem in poëtica tantam mihi tribuis, quantam ego nec agnoſco nec poſtulo. Itaque, quomodo poëta factus fuerim, brevius expoſui, ne tuæ de me opinioni fidem habere viderer. Vale.

JANUS SECUNDUS P. S. D. FRATRI HADRIANO.

Pariſiis bene vivimus. Mira eſt omnium humanitas. Certatim ſe viæ duces offerunt, ut digna viſu oſtendant. Quotidie ad coenam aliquo eſt promittendum, ubique laute nos invitamus. Feminæ hic Romanas magis quam Græcas imitantur. Frequentes enim conviviis adſunt, nec minus honeſta forma et elegantia, quam ingenio et artibus eminent. Saltant commode. Canunt pulcherrime. Hoc acroamate in coena nihil dulcius. Quod ſi audisſet Nepos, ne anagnoſtas quidem Attici ſui jucundiores arbitraretur. Equidem, ſic coenans, Jovi cæterisque Diis, nec Apollinis citharam, nec Muſarum vocem invideo. Sed hujus meæ voluptatis magna pars interiit, ſi, quod mirum tibi videbitur, in ele-

(*) Equitet.] Artem enim equitandi in delitiis habebat Secundus. Et multas Elegïas equitans meditatus eſt.

elegans, urbanum, et bellum hominum genus inciderim. Hi ſe omnium primos esſe volunt, nec ſunt; omnique ſtudio et induſtria id agere videntur, ut nihil agant. — Sed quænam in rebus humanis eſt tanta voluptas, cui non aliquid, quod nolis admixtum ſit? Horum adſpectu ſi carerem, vos autem adesſetis, vix dubito, quin, quod optarem ſuperesſet nihil. Sed ſi quis Deus hæc largiretur, alia fortasſe cuperem. Itaque hæc ut posſumus, ferenda; Cotili Pariſienſes non ſine riſu, veſtrum deſiderium moderate, et ut decet veros amicos ac fratres. Omnes a me ſaluta. Vale. —

JANUS SECUNDUS HADRIANO FRATRI.

Iterum ſcribo; adoleſcentis iſtos nimia humanitate importunos, moleſtos et ridiculos arbitror, quamquam tu horum cauſam ſuſcepiſti. Ego omnino liberalis hominis cenſeo, in veſtitu elegantem esſe, et omni diligentia affectare munditiem; in moribus etiam ſuavitatem quandam et humanitatem probo; his vero virtutibus ſi quis abutatur, hinc bina naſcuntur vitia quæ vix in femina, nedum in viro feras. De veſtitu quidem quem meliorem Ovidio mihi arbitrum dabis. Et ille,

Forma viros neglecta decet.

Nec disſentiunt Græci. Iſocrates enim, cum alia præcepta utilisſima, tum illud Demonico dedit: *ειναι βουλου τα περι την ισθητα φιλοκαλος, μη καλλωπιστης.*

At quid belli iſti homunciones? Omne ingenium ad curam veſtium referunt; et quum nihil habeant, quo ſe a civibus ſuis diſcernant, niſi novo earum genere, hoc ſæpisſime permutant, ſimulac alii imitentur. Ab urbanitate non ſum alienus. Imo hanc amo, et gratum vitæ condimentum arbitror. Sed qui ea utuntur, nimia, ut illi, in vita communi ſe moleſtos reddunt. Vidi etiam qui alios, a moribus ſuis paulum aberrantes, deriderent. Quamquam Galli hac in parte aliis mitiores, qui Gallos imitati ſunt. Defluxit enim et dimanavit iſta vivendi ratio cum ad alias, tum ad noſtram nationem; ut adeo Gallia hic Græciæ par dici queat, utraque enim alias regiones ſuo exemplo formavit. Hæc quidem ingenii et doctrinæ humanitate, illa bene atque honeſte vivendi nova quadam ratione. Quid enim eſt illud quod bene ac honeſte vivere appellant? —— Culti ſunt ad ſpeculum tanta cura, quaſi in eo ſalus patriæ verteretur. Vultu ridenti, incesſu varie compoſito, plerumque adeo celeri, ut ſaltantes, videre putares. Pulvere utuntur medicato, quem ex acerra gemmis auroque diſtincta, duobus digitis protrahunt, naribusque mira arte admovent. Omnium rerum, de omnibus enim loquuntur, periti ſibi videntur; novarum inprimis et minutisſimarum; quas enarrare mira ſuavitate norunt. Omnibus bene cupiunt, omnibus familiares, potisſimum mulieribus, quibus minima et ridicula præſtant officia, et nunquam non asſentantur; neque ad harum modo ſenſum et voluntatem, ſed etiam nutum et vultum convertuntur:

Quidquid dicunt, laudant, id rurſum ſi negant,
audent id quoque.

ut

ut ait Terentius. Quamquam ille in Gnathonis persona, qui hinc quæstum multo uberrimum reperit. Quod de illis item dici non potest. Hæc si tu sententia tua probes, Hadriane, me causa cecidisse agnoscam. Vale.

JANUS SECUNDUS SUIS FRATRIBUS ET AMICIS P. S. D.

Suave mari magno turbantibus æquora ventis,
E terra alterius magnum spectare laborem.

At vos non spectatis, sed, quod malignius, ridetis. Ego enim dum nimbis, ventis, grandine, et frigore fere opprimor, et vias coecas equo vixdum transeo, domi vos hæretis, ibique probe vos invitatis. Ad pocula vestra quum „ bene Secundum" dicitis, ille in tugurio aliquo delitescit, et fortunas suas laudat, si lac sibi et panis contingant; quibus si ova accedant, apud Lucullum esse videtur. —— Sed veniam in Hispanos, ita (*) Julia vivat, ut me curabo! Efficiam profecto ut invidia sortis meæ rumpamini; et tam pinguis et nitidus domum revertor, ut me, velut, Ulyssem sui amici, non noscatis; quamquam ille totos viginti annos Ithacam non viderit, et macie confectus, et pannis et squalori obsitus eo se receperit. Sed probe novi quantum contra corporis mihi faciendum sit. De coeli me varia tempestate queri, videte sane, modo ne miramini quare id faciam. Vos domi sedentes, nec injuriæ aëris

(*) Julia] Est nomen puellæ, quam cecinit.

aëris expositi, sæpe tamen turrium insignia consulitis, quo se ventus verterit, et coelum adspicitis; cujus tempestatem et vultibus vestris si adessem, facile perspicerem. Hæc vos si domi facitis, me, peregre facientem ridetis? Ego itaque si pecco, vos gravius peccatis. Sed ridete quam non sim injuriarum memor. Vos enim, qui me accusastis, et eodem crimine tenemini, omni culpa liberabo. Sic igitur cogito, paucas regiones tantam coeli varietatem subire, quantam nostra. 'Coelum serenum, si aliquo exeundum, optamus omnes. Hinc de eo sæpissimi cognoscimus. Nec parum nostra interest. Valetudo enim subita mutatione facere potest detrimentum. Quare alii male id nobis vitio vertunt, quod sermonis initium ab aëre sereno vel nimboso ducamus, [quamquam id omnes videmus,] quasi sermo deesset. Ego id interdum fieri non nego, illud autem nego, quemquam majore jure hoc facere, quam nos facimus. Illis potius vitio vertant, quibus aër est lenis, temperatus, et similis. Horum ego garrulitati hoc tribuo, ut Theophrastus, optimus ille morum arbiter; cujus ἀδολεσχης et illud iterare solet, ἐι ποιησειεν ο Ζευς ὑδωρ, τα ἐν τη γη βελτιω ἐσεσθαι. Aut si, quid dicant, hæreant, et anxie disquirant, ut amici alicujus tyranni,

Cum quo de pluviis, aut æstibus, aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici.

Hi aut alios imitantes aut sermonis occasionem ab aëre captantes, ordiuntur; nos consuetudine, quam ipsa regionis nostræ natura nobis imposuit. Valete et me amate.



EPISTOLÆ

ALIQUOT

EXCELLENTIUM

BATAVORUM,


CONSCRIPTÆ

A

PETRO HOFMANNO-PEERLKAMP.

GYMNAS. DOCCUM. RECT.

FASCICULUS II.



HARLEMI,
APUD ADRIANUM LOOSJES, PF.
MDCCCVII.

LECTORI ÆQUO ET PERITO.

Secundum accipis a me Epiſtolarum Faſciculum. Sequetur tertius, quo corpus hoc quodcunque finire conſtitui. Fidem in omnibus, quantum potui, hiſtoricam ſervavi. Sed de his aliisque rebus, quas ſcire tua intereſſe arbitrabor, deinde nonnulla monebo. Errores, ſi qui ab impreſſore irrepſerint, ut antea jam irrepſerunt, emendes rogo. Ipſe enim magno locorum intervallo huic rei præeſſe nequeo. Vale.



JUVENI EGREGIO

FREDERICO WITTEVEEN,

P. S. D.

PETRUS HOFMAN PEERLKAMP.

Omne illud tempus, anni autem ſunt fere tres, quo ad literarum tibi Latinarum Græcarumque ſcientiam via a me est munita, magna cum voluptate utrique est conſumtum. Quod diſcendi laborem tibi reddiderit levem et jucundum, id memoria te repetere, quam hic me narrare magis decet. Mihi quidem omnis tui inſtituendi ratio tam grata fuit et facilis, ut fortunas meas laudem, ſi talis ingenii, diligentiæ et modeſtiæ multos nanciſcar diſcipulos. Fieri igitur quum aliter non potuerit, quin, hac quamvis ætate, dignus haberere, qui in Academiam te reciperes, hoc

te Epiſtolarum Faſciculo donavi, ut publicum haberes mei in te amoris monumentum. Vale, et res tuas bene ac feliciter age.

Scripſi Groningæ Kalendis August. MDCCCVII.

DESIDERIUS ERASMUS P. S. D.
GULIELMO HERMANNO.

Ex proximis literis tuis intellexi, te fuſpicari, me, in luce atque oculis hominum verſantem, memoriam tui depoſuiſſe. Dii boni! quaſi quis ſui ipſius poſſit oblivifci. Quam te enim ſemper me alterum habuerim, et omnia tua mea duxerim, non negabis. Talem autem amorem locorum intervallo et temporum mutatione poſſe, non dicam deleri, ſed omnino quidquam deminui! Sed verberationem ceſſationis, credo, iſta mihi ſuſpicione dedisti. Orta est enim ex mea in ſcribendo negligentia. Neque vero committam, ut eodem a ſe crimine accuſari deinde poſſim. Quæris, an me conſilii mei non poeniteat, qui me ex (*) umbra veſtra luci expoſuerim? Tantum quidem abest, Hermanne ſuaviſſime, ut vita nunc vere mihi frui videar, quum libertate fruar. Sint ſane loca iſta literarum ſtudiis aptiſſima, affluant otio, abundent omnium rerum ſecura copia, ſummum denique in ſe teneant bonum, ego

Regnare nolo (†), liber ut non ſim mihi.

Ve-

(*) Umbra.] Vixit Erasmus aliquamdiu in monaſterio, cum Hermanno. Vid. Vitæ Exc. Bat. pag. 25.

(†) Regnare nolo et ſeq.] Deſumſit ex Phædri L. III. Fab. VIII.

Verum enim vero, ſi rem ad vivum reſecemus, loquor enim tecum, ut ſoleo, omnia aperte, otium et quietem quis, modo velit, ſectari non posſit? Vita deinde, nulla in re ſollicita, nullasque curas agens, vide, an res adeo ſit expetenda? Ad religionem quod attinet, quam ut oculos meos amo, ſi vera ſit, ut eſſe debet, aeque hanc Deo placituram arbitror, ſive quis in communi vitæ uſu, ſive ſacris parietibus incluſus colat. Quid autem? An homo ſibi ſolus natus est, nec cenſes omnium esſe officium, afferre aliquid ad communem patriæ utilitatem, ex quo publica ſalus oriatur? Quanti demum exiſtimas cum aliis esſe, horum mores cognoscere et ingenia, ex his ſuos ſibi amicos eligere, hos amare et vicisſim amari? Quod quam jucundum et utile? At, inquis, non ſoli ſumus. Ego, quum apud vos esſem, navitis nos ſimiles arbitrabar, qui, longo tempore præter ſpem navigantes, nihil niſi aërem, mare, et ſocios ſemper eosdem conſpiciunt. Sed fuisſent omnes, qualis tu et Cornelius noster, vitam ibi ferendam putasſem. Quid multa? Hominum vita mercatui anniverſario ſimilis mihi videtur, alii veniunt, abeunt alii; hic emit, ille vendit; alter, isque maxime ingenuus, ſpectat. Quod ut et ipſe facere posſem, ſedem vestram reliqui, meque in libertatem vindicavi. Quam mentem utinam et tibi dare posſem! Sed de his tu ipſe videris. ——

DE-

DESIDERIUS ERASMUS P. S. D.
CORNELIO SUO.

Et quæ tanta (*) fuit Romam tibi causa videndi?

Rerum antiquarum aut reliquiarum potius cupido, ex quibus de urbe illa, orbis quondam domina, conjecturam fiëri posse cogitabam. Et vero etiam ut civium mores, quantum possem, cognoscerem. Utrumque enim hunc peregrinandi usum soleo conjungere, atque imitari sapientissimum heroëm, qui

Πολλων (†) ανθρωπων ιδεν αστεα και νοον εγνω.

Sed Romam vidi, ut dicam, quod res habet, longe opinione mea minorem. Neque illud mirum. Sustinet enim tantam apud omnes exspectationem, ut respondere huic forte possit, vincere eam non possit.

Ista, quam vere dicere possis, magnitudo est nulla. Urbs magna sui parte diruta, multisque in locis funditus deleta, vim mihi lacrimarum expressit. Lapides quadrati, antiquis literis incisi, ubique jacentes conculcantur. Aedificiorum reliquiæ paucissimæ, et quas vetustas ex omni parte exedere non potuit. Columnæ passim occurrunt eximiæ magnitudinis, longe lateque disjectæ, quædam non pror-

(*) Et quæ tanta et seq.] Virg. Ecl. I. v. 27.

(†) Πολλων et seq.] Homer. Odyss. A. vs. 3. Horat. Art. poët. — Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

prorſus confractæ vel conſumtæ vetuſtate. Hæc ego quum proſtrata et diruta viderem, atque ea re amici illius noſtri, cujus mors flebilis adeo accidit nobis, deſiderio afficerer, ſic mecum cogitare coepi: ,, Heus ,, tu homo nate, quando familiaris tuus vitam ,, cum morte commutavit, indignaris, cum urbis, ,, olim florentisſimæ, projectum videas cadaver?"

Ex his ergo ruderibus etiam ego, qui oculos non tam eruditos habeo, de priſtina majeſtate conjicere potui. Atque utinam rerum antiquarum amantes diligentius hæc investigarent; quantum enim hinc lumen doctrinæ elegantiori esſet accesſurum, tu non neſcis. Sed majus est ſeculi nostri ſtudium, quia major credo inde fit pecunia, in conquirendis ſanctorum membris, idque ea cum felicitate, ut hæc ſata videantur. Uni enim centum aures et naſos affingunt. Manuum etiam numero plurimi referunt Aegæona (*). Sed misſa ridicula. Plebs est barbaris quam Romanis ſimilior, adſpectu foeda, ſermone varia, diſciplinarum imperita, cultu ruſtica; quippe quae ex omni terrarum parte in hunc locum, tamquam in vetus illud aſylum confluxerit.

Nam ſi ad cives reſpicias Romanos paucisſimi ſunt, qui ſpecimen illud priſtinæ nobilitatis retineant. Gloriam et ſplendorem militarem, magnitudinem imperii, morum ſeveritatem, vitæque integritatem, tamquam vetera atque aliena deſpicientes, in luxum, mollitiem, egeſtatem, inſolentiam, atque

(*) Aegæona.] Hic erat centimanus; Homerus Il. A. 402. vocat ἑκατογχειρον; Ὦγ' ἑκατογχειρον καλεσας εις μακρον Ὀλυμπον.

que effrenem libidinem proruperunt. Dignitas omnis in ſacerdotibus, quos aut generis nobilitas aut virtus eximia in eum honoris gradum provexit. Hi ſunt, qui Romam eſſe faciant Romam, qualem non virtus Quirini (*), ſed ſanctitas Numæ feciſſe fertur. Cæteros ſervorum turbam judicandam putes, quorum alii coqui, ſartores, lenones, alii ſcurræ et nebulones. Hi arcem obtinent Capitolinam, hi Gracchorum, Scipionum, Cæſarum domos habitantes, horum ſtatuas atque imagines fumo, culina, omnique ſqualore deturpant. Sed longius me neſcio quis ardor ultra epiſtolæ modum provexit. In viam itaque. Neſcio autem quomodo accidat, ut, ſi ad te ſcribam, non ſcribere mihi, ſed tecum eſſe et colloqui videar. Hinc longas adeo a me accipis epiſtolas. Tu autem quam diu est quod ad me ne ſcidulam quidem (†)? Iſtam negligentiam epiſtola quam longiſſima emendabis, aliam excuſationem non accipio. Vale. ——

D. ERASMUS GULIELMO WARAMO P. D. S.

Neque ego neque tu phasmata aliquid eſſe unquam cogitavimus, ſed in ea fuimus ſententia, in-

(*) Quirinus.] Sic post mortem dictus est Romulus. Numa Pompilius bellum quidem nullum geſſit, ſed leges, mores, ſacra ac templa conſtituit. Cf. Eutrop. L. I. Cap. III.

(†) Ne ſcidulam quidem?] Sc. miſeris.

inania hæc esse et vana, atque ex metu nostro accipere imaginem. Hanc sententiam quum nuper vidi confirmatam, narrabo tibi (*) memoria quod factum est mea, ut ait ille. Polus hujus fabulae auctor est et actor. Hujus prædium, ut nosti, non procul Londino est. Ad lævam ædium partem via jacet septa arboribus, pari utrimque intervallo digestis. Alterum viæ latus habes alveum siccum, dumis ac vepribus obsitum. E ponticulo iter est in apertam planitiem. Jam pridem per viciniam hujus loci erat rumor, juxta hunc ponticulum esse spectrum, cujus subinde exaudirentur miserandi gemitus. Hujus rumoris, ut dixi, caput erat Polus. Quid enim? Sic hominis ingenium. Hujusmodi commentis aliorum stultitiam ludit libenter. Interea commodum apud Polum divertit Faunus, qui sapere sibi non vulgariter videbatur. In coena ortus est sermo de fabula spectri. Faunus habere fidem et rem velle explorare. Cogitabat enim, ut est homo superstitiosus, animam illic a malo Genio vexari. A coena Polus abit, quasi negotiorum causa. Faunus obambulans de liberanda anima cogitabat. Tandem, quum essent tenebræ, audit miserandos gemitus. Hos Polus mire effingebat, abditus illic in vepreto, adhibita eam in rem olla fictili, ut vox e cavo reddita, lugubrius quiddam sonaret. Faunus se domum proripit. (Polus autem via compendiaria jam anteverterat.) Quid fit, narrat, alia etiam, quæ non ipse, sed timor illius viderat, addit. Adeo oculi trepidi plus vident, quam

(*) Narrabo tibi et seq.] Phædr. L. III. Fab. XI.

quam quod vident. Ego parum aberat quin in risum effunderer. Sed vultus, rogante Polo, in manu erat tenendus. Hic Faunus meus, exorcismo, inquit, opus est, ut hoc monstro miseram animam liberemus. Deinde nescio quos circulos, cruces, notulas, vasa aquæ consecratæ, cerulas, et, quibus plurimum fidere videbatur, verba concepta jactans, cachinnum mihi extorsit. Crassus (*) credo ἀγέλαστος ille, non se tenuisset. Tanta gravitate et fiducia homo iste de hoc ritu disserebat, ut metum facile ex vultu perspicere posses. Faunus stomachans discessit. Ego et Polus quum soli eramus, illum hortatus sum, ne talem iterum fabulam ageret. Facile enim fieri posse ut hæc populo non placeret, atque ipse exigeretur. Addidi etiam non omnes esse Faunos. Denique ostendi quam non humanum esset homini injicere terrorem, cujus miram vim esse ad valetudinem perturbandam atque infringendam. Ille vera me loqui agnovit, nec se iterum factum promisit.

ERASMUS AMERBACHIO SUO S.

Brevi suspicor fore, ut migrandum mihi sit ex hac vita. Spes enim, quam nuper medici de recuperanda valetudine concipere me jusserunt, superat nul-

(*) Crassus et seq.] Hic Crassus, Crassi divitis avus, numquam risisse fertur. Ob id Agelastus est vocatus. Plin. L. 7. Cap. 19.

nulla. Itaque si qua curata vellem, esse festinandum. Accepi hanc vocem ea mente qua hominem cumque Christianum decet, nec, quoniam Deus voluit, invitus discedo. — Satis enim diu vixi. Labores et commoda pueritiæ, adolescentiæ, ætatis virilis, senectutis denique omnia percepi, atque ita percepi, ut hospitium hic mihi, non domum esse putaverim. Non hæc muno dico quasi, ut multi, vitam deplorare videar; imo, si Deus mihi largiatur ut ex hac ætate sanus repuerascam, idem spatium decurrere non recusem. Ita viverem ut nunc vivere summis viribus conatus sum. Semper, quod Solon ille (*) jubebat, rerum finem respicerem. Quam a simulando et animus meus fuerit alienus, nec hic locus, e quo nisi mortuus non auferar, illud admittat, nosti. Itaque, quæ dicam, vera sunt. Deum et homines, quoad ejus a me fieri potuit, amavi. Inimicis aut ignovi, aut eos levissima ratione repuli. Quamquam et hoc factum nollem. Qui me norunt, non frustra me natum existimant. Ita vixi, ita moriar. Errores et peccata, quæ ut homo commisi plurima, spero equidem et confido fore, ut Deus mihi condonet. Tibi maximas ago gratias quod me tantopere amasti et dilexisti. Quæ fieri et de me mortuo, et de pecuniis, rebúsque, quibus testamento cavi, harum rerum cura ad te pertinebit. Vale tu, optime Amerbachi, nec cogita, Erasmum mori, sed alios amicos, qui du-

(*) Solon ille et seq.] Herodot. L. I. 32. et seq. *Σκοπεειν δε χρη παντος χρηματος την τελευτην, κη ἀποβησεται.* — —

dudum abierunt, in viam ſequi, tibi autem præcedere. Ave atque vale.

WESSELUS (*) GANSFORTIUS P. S. D. ODEÆ KLANTIÆ.

Multum profecto iis debemus, quibus vitam, munus illud jucundisſimum, referimus acceptam. Hoc autem beneficium non mediocriter eo augetur, quod iidem curis ſuis et cogitationibus efficiunt, ut munere isto bene recteque uti posſimus. Itaque ſuos quisque parentes ſummo amore proſequitur, eumque amorem ipſa natura animis nostris impresſisſe videtur. Sentio enim ſentio, quam me occupet quidam affectus, ut eos etiam amem, quos puerulus acerba morte amiſi, vultusque eorum ſæpe mihi ante oculos proponere geſtiam. Sed et tenera ætas et longinquitas temporis omnem e memoria imaginem delerunt. Hæc mecum repetenti lacrimæ interdum oboriuntur quidem, de fortunis tamen me meis queri, nec parentum amor, nec tua benevolentia et liberalitas ſinunt. Quodſi enim mortuis ſit rerum humanarum ſenſus, gaudebunt certe, curam te mei ſuſcepisſe; et gaudere debent. Tanta enim tu me caritate, ut verbo dicam, es complexa,

(*) Parentes Wesſeli mature deceſſerunt; quare eum matrona quædam præclari et liberalis ingenii ſuſcepit, et una cum filio ſuo, in iis artibus, quibus humanitas continetur, erudiendum curavit. Peerlkamp Vit. Ex. Bat. pag. 21.

plexa, ut nec parentes mei, credo, majore possent, nec tu tuum ipsius filium.

Verissime adeo, συ μοι ἐσσι πατηρ και ποτνια μητηρ (*). Hæc ne coram tecum effunderem, prohibuit cum pudor quidam juvenilis, tum modestia tua, quæ ad cæteras tuas virtutes illustre accedit ornamentum. Ista, ita vivam, modestia tandem suasit mihi esse audaci, atque omnia tua beneficia accipere.

Hoc olim facere verentem, verbis tu liberalitatem tuam minuisti, satisque tibi fieri dixisti, si vir bonus et justus fieri studerem. Quod si aliud dies noctesque agam, merito sim ingratissimus. Ingratum autem me non esse ipsa tu judicas. Quod ut vere judices, omnibus viribus enitar. Vale, femina egregia, et cogita, mihi esse optime, si tibi bene sit. — Epistola finita, accurrit ad me Joannes tuus, quem ut fratrem amo, literasque etiam se habere paratas dicit. Commode itaque has uno fasciculo comprehendam. Iterum vale.

WESSELUS GANSFORTIUS MATRI SUÆ CARISSIMÆ P. S. D.

Non enim sic oportet (†)? Nullum adhuc aptius nomen reperire potui, quo te potissimum insigni-

(*) His verbis ad Hectorem utitur Andromache ap. Homer. Il. Z. 433. Ἑκτορ᾽ ἀταρ συ μοι ἐσσι πατηρ και ποτνια μητηρ.

(†) Non enim sic oportet?] Respicit ad titulum, *Matri Suæ.*

signirem. Natura non tu quidem mater mea, sed amore, sed pietate, sed consiliis. Quod scire cupis, qua hic ratione vivam, facis illud pro tua mei cura, nec mihi quidquam jucundius est, quam tecum omnia mea communicare. Hæc igitur nunc est vita mea. Primo mane e cubitu surgo, librisque me meis involvo. Tempus enim illud, laudatum magis, quam usurpatum, merito Musis dicitur amicum.

Fessus deinde, non satiatus, legendo aut scribendo, corpori aliquid tribuo, et prius quam coenamus, famem ambulatione obsonor. A coena cum amicis sum et familiaribus. Hic ludimus, jocamur, ridemus. Quod reliquum est diei, vindicant sibi literarum studia. Sic unus dies alteri simillimus, ut fluctus placidi fluminis, elabitur. Sic quotidie aliquid addiscens natu major fio. Quod idem de se versibus gloriabatur Solon ille (*). Cujus ego sapientiam si assiduo labore possim consequi, præclarissime mecum actum putabo. Non equidem referrem hanc ad leges, ut ille, ferendas, sed ad rem maximi omnibus momenti, religionem. Non equidem hæc ad te scriberem, nisi sensum hic tuum nossem. Sed de his coram, si videbitur. Brevi enim me videbis. Vale et me ama.

(*) Solon ille. et seq] Brunck. Anal. vol. 1. pag. 65. Γηρασκω δ'αιει πολλα διδασκομενος. Cf. Cicero in Senectute.

WES-

WESSELUS GANSFORTIUS JACOBO SUO P. S. D.

Quæris à me quid ſit, quod tanta, ut ais, diligentia in illud literarum genus incumbam, quæ quid habeant emolumenti futuro Theologo, Philoſopho, aut alii cuipiam, perſpicere te negas. Excidisſe hæc equidem tibi nollem, ſed quoniam exciderunt, hunc tibi errorem, ſi fieri posſit, extorqueam. Nulla est, mi Jacobe, neque ars neque doctrina ingenuo atque libero digna, quam Græci vel non invenerint, vel cujus ſementem non ſparſerint. Iidem illi multas easque gravisſimas diſciplinas non e tenebris tantum elicuerunt atque inchoarunt, verum etiam ad illud fastigium evexerunt, ut omnem fere nobis ſui conſequendi ſpem ſuſtulerint. Jam vero quis erga gentem tam eruditam non incredibili ſtudio inflammetur? Quis non omnem in id curam convertat, ut eum addiſcat ſermonem, cujus ope ad tantarum rerum uſum pervenire posſit? Quod ſtudium nobilius juvenem agitet? Quid quod ne indecorum illud quidem ſeni? Vidimus illud exemplo hominis gravisſimi, Catonis, qui matura jam ætate literas Græcas tanto ardore arripuit, ut ſitim diuturnam explere velle videretur.

Nec vero tam ſine mente ille fuit, ut laborem iſtum in ſe ſuſciperet ſine maximæ utilitatis opinione. Atque hæc ille ſenex. Quanto magis ego juvenis? Sed niſi tot tantique hujus ſtudii fructus oſtenderentur, nonne et hoc aliquid esſe putas, in re-

rebus fecundis habere ornamentum, in adverſis ſolatium?

Quare mirari deſine, quod me totum ita his literis abdo, ut in publicum prodeam rarius. Neque vero animi ſumus tam abjecti, ut, propoſito magnæ utilitatis voluptatisque præmio, laborem perferre nolimus. Quare quæſo et tu cum Muſis Græcis redi in gratiam, inque earum caſtra te recipe, quæ aliquamdiu reliquiſti. Vale, et res tuas diligenter age.

UTENBOGARDUS S. D.
ARMINIO SUO.

Etſi mihi nunquam fuit dubium, quin virtutum tuarum luce atque ſplendore in certorum hominum aliquando incideres invidiam, tamen, quum quæ geſta apud vos ſunt, nuntiatum mihi est, incredibili affectus ſum dolore. Semper enim antea cogitavi, fore, ut pietate tua involutus, inimicos, quos eſſes nactus, ſecure poſſes contemnere, teque arbitratus ſum loco eſſe poſitum altiore, quam ut malignitas te, non dico arrodere, ſed lædere poſſet. Sed fefellit me mea de ingenii humani natura opinio. Nihil enim eſſe videtur tam præclarum atque excellens, quod invidia non aliquando violet et ſubruat, quæ tam parum tibi parcat, ut non dolorem tuum, ſed interitum cupiat. Velim equidem tecum Amſtelodami eſſem, ut de rebus coram inter nos communicare poſſemus. Quod quoniam in præ-

præſentia fieri nequit, bono literarum utamur, et quam ſæpisſime ſcribamus. Quod factu opus tibi ſit, pro prudentia tua jam facile vidiſti, idemque tibi, ni jam cepisſes, dedisſem conſilium. Cogita quæſo, mi Armini, quinam ſint inimici tui, quam omnia odio et cupiditati tribuant, nihil veritati, nec te noſcant. Si enim nosſent, non ſatis æſtimarent. Vale, et bono ſis animo.

JOANNES UTENBOGARDUS P. S. D.
MAURITIO PRINOIPI.

Talem ſorte nactus ſum provinciam, qualem nec animus meus nec ætas exſpectaverant. In armis et in caſtris militum animos ad virtutum pietatemque oratione mea incendam. Hæc ſæpe tubarum clangore et tympanorum ſono abrumpetur. Conſolabor vulneratos, verbis meis obſtrepent morientium gemitus; et animus in his rebus non exercitatus, callere debebit! Sentio, ſentio quam arduum ac difficile opus mihi evenerit; tamen quum et ſors, et, ut hoc utar, tua ſortis comprobatio, me ad illud vocarint, et res militaris, qua his temporibus plurimum nititur patriæ ſalus et utilitas, ex meo labore aliquid exſpectare videatur, nec boni hominis nec civis esſe arbitror, munus illud defugere. Imo omni conabor opera, ut in officio quam diligentisſimus et dicar et habear. Vale, Mauriti Princeps, et me tibi habe commendatum.

U-

UTENBOGARDUS P. S. D.
DOMINICO BAUDIO.

Quibus moribus in Batavia noſtra vivitur! Minimo in ſacra diſciplina disſenſu, qui nec vitam beatam, nec veram hominis ſalutem adjuvet, odium et invidiam ſibi quis excitat eorum, qui regnum aliquod affectant, et, quæ pro veris ipſi habent, ea et alios habere volunt. Tantæne animis istis iræ? At non ita Christus ille, ad cujus exemplum et nos et illi, pro eo ac debemus, mores noſtros componimus. Quo quis a mundo inde condito, in omni vita melior et amabilior, quis inimicorum etiam magis amans et diligens? At homo ſum, errorique obnoxius. Idem, qui me oderunt. Sed oſtendant in quibus errem, mihique, non vi conviciorum ſed veritatis, ſi posſint, perſuadeant. Conentur me, ut fratres et Christianos decet, in viam iſtam ſuam reducere, non gula obtorta retrahere. — Omnium familiam ducit Roſæus, quem muneris ratio mihi conjunxit, at mea, ut inquit, impietas et religionis contemtus, ita disjunxit, ut mecum nec vivere, nec in gratiam redire velit. Atque hæc ille non in quotidianis tantum ſermonibus uſurpat, verum etiam ſacris diebus, idque ex eo loco, e quo amorem ſcilicet et benevolentiam commendabit, palam pronuntiat, atque in me acerbe declamat. Et is est Roſæus, quem nec dicto nec facto unquam læſi, imo quem amicum meum habui. Fuit enim inter nos, ut collegas, familiaris conſuetudo. Hanc,

dixis-

dixisſe illum nuper aliquis mihi narravit, ideo a ſe inſtitutam, ut meam de rebus nonnullis cognoſceret ſententiam. Tantæ autem malignitatis et ſimultatis hominem esſe Roſæum, vix est, quod credam. Ita ſaltem nec de eo, nec de aliis meritus ſum. Quam enim ad pacem et concordiam omnes ſemper fuerim hortatus, cumque omnibus bonis esſe in amicitia ſtuduerim, norunt illi qui me norunt. Sed

Regium est audire male, cum facias bene.

Animus itaque est hæc, ut adhuc feci, ſilentio vindicare, ſperans fore ut calumnia ſpreta brevi exoleſcat. Sin minus, quum perſonam ſuſtineo publicam, me ab injuriis tuebor. Vides me cum Augusto (*) non indignari nimium, esſe, qui de me male loquantur. Sed vereor ne, quod ille, ſatis habeam, ne mihi male facere posſint.

(*) Cum Augusto et ſeq.] Sueton. Vit. August Cap. 51. Tiberio quoque de eadem re ſedulo ſed violentius apud ſe per epiſtolam conquerenti, ita reſcripſit. „ Aetati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, et nimium indignari, quemquam esſe, qui de me male loquatur. Satis est enim ſi hoc habemus, ne quis nobis male facere posſit."

U-

UTENBOGARDUS LOUISÆ COLIGNIÆ
P. S. D.

In rebus turbulentisſimis, meisque maximis miſeriis, quarum, quos minime decebat, auctores, hoc habeo ſolatium, quod tu, optima et gravisſima femina, ſummæque pietatis, me in fidem tuam recipis, nec me audire, publice verba facientem deſinis. Pari me benevolentia complectitur Henricus tuus, matre ſua dignisſimus filius. Hujus veſtri in me amoris novum dediſtis argumentum, quod me, muneri meo renuntiare, atque invidiæ cedere paranti, ab hoc conſilio deduxiſtis, bono me eſſe animo jubentes, facile enim fieri poſſe, ut temporum acerbitas brevi mitigetur. Utinam, quæ veſtra in me aliosque benevolentia, et in patriam amor, vos ſperare facit, esſent ſuccesſa! In præſentia quidem conſilium mutare, vobisque adeo parere conſtitui.

UTENBOGARDUS P. S. D. BAUDIO SUO.

Heri quum ſummo mane Oldenbarneveldium domi ſuæ inviſerem, offendi eum, non, ut ſolebat, legendo aut ſcribendo occupatum, ſed oculos humi fixos tenentem, vultuque maxime ad triſtitiam compoſito. Quantus me dolor invaſerit, dicere vix posſum. Non ſine lacrimis optimum ſenem conſolari

conatus ſum; ipſe enim conſolatione indigebam potius; et dixi, quæ tum in mentem veniebant, principum in civitatibus virorum ſæpisſime hoc fuisſe fatum, ut invidiam virtutum ſuarum acciperent mercedem; neque animum illi esſe dimittendum, ſed mentem confirmandam, quæ, ut nullius culpæ, ſic multorum de patria bene meritorum esſet ſibi conſcia. Hoc facto, dextris junctis, uterque ſic diſcesſimus, ut animus meus, ſive timor, mihi præſagire neſcio quid videretur.

Putabam enim fieri posſe, ut gravisſimum ſenem deinde viſurus esſem nunquam.

Ut vero hoc mane, quum in aulam veheretur, in cuſtodiam traditus ſit, audisſe te jam credo. Quod idem ne mihi accidat, fuga evitandum cenſeo. Quis enim in tantis rerum fluctibus non bonorum ſolum ſed vitæ etiam et ſalutis naufragium timeat? Tu vale, et me ama.

JOANNES UTENBOGARDUS UXORI OPTIMÆ ET CARISSIMÆ S. D. P.

Antverpiam, quo me iturum dixeram, ſalvus et incolumis perveni. Venit et eo postero die Taurinus noster, gravida uxore, quinque liberis, vetula matre domi relictis. Ille, præ nimio forte dolore, quod nullo crimine hæc tam carisſima fugere debuerit, ille ergo in morbum incidit, atque brevi post mortuus est. Inſcripta etiam animo ſunt verba morientis, et ſemper erunt: „ Mors, inquit, „ mi

„ mi Utenbogarde, quam fuga vitare putabam, in „ exsilio hic me occupat. Injurias mihi illatas „ temporibus tribuo, et plurimos impetu trans„ verso, non cogitatione huc pervenisse arbitror. „ Viro bono, qualis esse semper studui, quam„ quam mors non est acerba, mihi tamen fato meo „ est acerbissima. Domus afflictæ atque desolatæ „ fortunam vides. Oro te per hanc dextram, per „ ingenium tuum, per hujus solitudinem, ut uxori, „ liberis, ut matri, sis auxilio; his te virum, pa„ trem, amicum et tutorem do."

Fidem me hæc omnia futurum dedi, datam servabo. Ille continuo moritur. Consilium te meum laudaturam, certo scio. Est enim hæc eximia tua in miseros omnes, amicos præsertim, benevolentia. Quamquam et ipsi non ii sumus, qui fuimus, sors tamen nostra aliorum comparatione laudari posse videatur. Omni tu itaque ratione Taurini familiam levabis. — Me quod attinet, quamquam omne exsilium civi bono est dolori, ita tamen me ipse consolor, quasi qui hoc malo dignum nihil commiserim. Illud dolet interdum te, ista virtute feminam, ob meas calamitates, in istas miserias esse demissam. Sed tu non ea, quæ non omnia sibi cum cum viro velit esse communia. Quare majorem in modum te etiam atque etiam rogo, ut quam fieri possit celerrime ac sine incommodo tuo, ad me venias. Vale, uxor carissima, teque omni constantia ad tempora nostra munire perge.

UTENBOGARDO, CAPITI CARISSIMO, UXOR P. S. D.

Ex literis tuis et mortem Taurini et animi tui constantiam, cognovi. Equidem nisi a ratione et sapientia contra fortunæ tela peterem præsidium, te viro forem indigna.

Noli putare, mi Utenbogarde, Batavam mulierem Romanæ hic quidquam concedere. Meministi quibus olim laudibus Arriam ornasti (*), quæ, ut narrabas, filio quamvis amisso, matrem tamen agebat, ne mariti graviter ægrotantis morbus hoc vulnere cresceret. Eadem maritum Pœtum, Romam in vinculis tractum, sequebatur. Me, qui te semper, ut nihil fere supra, amavi, me in patria, te in exsilio vivere? Imo veniam ad te, ut scribis, quam celerrime, nec me vis aut arma inimicorum facile retinebunt.

Hi omnem dant operam ut te comprehendere possint. Nuper metu fere concidi. Rumor erat te domi tuæ hic visum, in horto ambulantem. Media nocte audio strepitum. Fores vi effringuntur. Adsunt subito homines armati. Jubent me latibulum monstrare, ubi se scelus illud abdidissit. Ego quamquam

(*) Arriam ornasti et seq.] — — Pætus occiso Scriboniano, Romam trahebatur. Erat adscensurus navem, Arria milites orabat ut simul imponeretur. — Non impetravit. Conduxit piscatoriam naviculam, ingensque navigium minimo secuta est. Plinius Ep. XVI. Lib. III.

quam ſancte jurarem, te Hagæ non esſe, totam tamen domum inveſtigant. At fruſtratio illis incredibilem attulit dolorem. Mihi carcerem minati ſunt. Vides, quanta ſit illorum, ne quid gravius dicam, atrocitas.

Quare omnino cave, ſi me amas, ne poteſtatem tui facias, etiam ſi te domum ad cauſam dicendam arcesſant. De familia Taurini noſtri, hanc, quantum potui, ſum conſolata, et opem tuli. Quam avide ſemper omnem bene faciendi occaſionem arripuerim, noſti. Quid itaque hanc omitterem? Quamquam magnopere, ne hic haberem, vellem. Luctum et moerorem totius domus, verbis perſcribere nequeo. De his et aliis rebus, plura, ut ſpero, coram. Quod non longum aberit. Deſiderium enim tui vix fero. Quod partim naturæ muliebri, partim amori meo tribuo. Vale, et ſi mihi velis proſpicere, tibi proſpice.

MAURITIUS P. S. D. HENRICO FREDERICO.

Ex inſigni gaudio, quo te ſcribis esſe elatum, rei a me bene geſtæ nuntio accepto, tuum in me atque omnem [patriam amorem agnoſco. Laus militaris, quam mihi quidam tribuunt, delectat me illa quidem; quid enim a re me alienum ſimulem, cujus omnes ſtudio trahimur? Maxime tamen me eadem ideo capit, quod ſalutem patriæ et inimicorum cladem afferre quaſi ſecum videtur. De for-

tuna, quæ, ut fcribis, cum in reliquis rebus, tum præcipue in bello plurimum potest, de confilio et prudentia, quid aut quantum cuique tribuendum, de his ergo quæ rogas, hæc rogare debueras doctiorem. Non enim ego fum tanto ingenio, quanto Lucullus (*), qui in laude etiam imperatoria ufus difciplinam non defideravit. Quæ fentio tamen afferam, me fcilicet primas et fecundas dare confilio, et vix tertias fortunæ. Vere ille,

Nullum numen habes, fi fit prudentia, nos te
Nos facimus fortuna Deam (†).

Veterum Dea, quidquid profpere geftum fit, omne pæne fuum ducat, equidem hanc non magna religione colo, fed felicitatem vindico prudentiæ, ut fine ea felicitas effe non posfit, et fi fit, majus fæpe damnum afferat. At veteres rei militaris erant peritisfimi. Recte. Suam illi habebant, nos noftram; quæ quanto opere a fe differunt? Boni eft ergo ducis fingere fortunam, agendo, vigilando, confulendo. Militibus ut liberis fuis profpicere, loca idonea tenere, tempora opportuna fervare, hoftem femper exfpectare, animum habere vitæ prodigum, hæc bona in ducis, non in fortunæ pofita funt

(*) Quanto Lucullus et feq.] De quo Cicero Acad. Quæst. IV. I. Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non defideravit ufus difciplinam.

(†) Nullum numen habes et feq.] Juvenal. Satyr. XIV. vs. 315.

funt potestate; quæ equidem omni ftudio confequi conabor, in hæc dies noctesque incumbam. Quæ fi ero adeptus, patriæ auguror malorum levationem. Et quod omen melius, commendatum etiam poëtæ antiquisfimi verfu?

"Εις οιωνος άριςος άμυνεσθαι περι πατρης (*).

Vale. —

MAURITIUS P. S. D. FRATRI CARISSIMO.

Audifti forte jam de nova et inufitata ratione, qua Græcorum equum imitantes nostri Bredam ceperint. Hanc tibi expugnationem accurate narrabo, ut videas, quam virtus et prudentia fortuna fuerint adjuta. Urbi a rege præfectus erat Eduardus Lanzavechia. Præërat et Geertrudenbergæ. Eo fæpe proficifcebatur operum infpiciendorum caufa. Hoc abfente filius ejus tenebat imperium, patre fuo, ut ætate, fic confilio longe inferior. Itaque naves, quæ in arcem vehebantur, neque explorabat, aut levi opera faciebat, nihil doli posfe fubesfe fufpicans. Hoc non effugit Adrianum Bergenium (†); fieri enim posfe arbitrabatur, ut milites aliquot, fub latibulo cefpitum, in arcem de-

(*) Homerus in Iliade.
(†) Adriaan Janszoon van Bergen. —

deducerentur, qui excubias nihil opinantes facile opprimerent. Res ad me defertur. Statim Carolum Heraugierium, hominem fortissimum certiorem facio: Hic consilium probat. Nec mora, se cum septuaginta militibus, quos viritim elegerat, in navem abdit. In media nave erat locus concavus, tectus undique ligno; supra positi erant cespites. Ibi latebant milites. Multum frigoris, magna fames et sitis his fuit ferenda. Paucis enim horis se in arcem venturos sperabant, nec cibum secum duxerant. Nocte ergo media in terram exierunt sui reficiendi causa. Postero die fit Breda in conspectu. Ingens hic instabat periculum. Navis enim in vado fluminis hæserat, neque inde emergere, nisi æstus recessu poterat. Tantum ergo aquæ influebat ut milites genubus tenus fierent madidi. Jamque ad arcem pervenerant, quum nescio quo casu rima, per quam aqua influxerat, esset expleta. Quid multa? Navis exploratur. Omnia tuta reperiuntur. Atque ipsi milites Hispani navem, quæ glacie tarde procedebat, funibus alligatam attrahebant. Medio die præfectus arci cespites efferri jussit; et, quia erat horum inopia, brevi perventum est ad locum, in quo nostri latebant, adeo ut lucem claram videre jam possent. Hos nisi et hic navitæ dolus servasset, actum de iis fuisset. Fessum se ergo opere et longo itinere simulat; pecuniam largitur operariis, qua se invitarent, posteroque die redirent. At ille se clam ad me proripuit, et, quo loco res essent, narravit. Reliqui nautæ interim antliam movebant, ne, si militum exeuntium audirentur strepitus, suspicionem id mo-

moveret. Intempesta ergo nocte socios Heraugierius educit. Excubiæ opprimuntur, reliquum præsidium repellitur. Ego sine mora cum exercitu adsum. Breda capta est. Omnes, qui huic expeditioni interfuere, splendide donati sunt. Censeo enim illud patriæ cum honestum, tum utile, ut cives et milites bene meriti honore ornentur, præmiisque afficiantur, quo aliorum etiam animi ad virtutum amorem accendantur. Vale.

MAURITIUS P. S. D. JOANNI OLDENBARNEVELDIO.

Cum in reliqua vita, tum præcipue in bello utilissimum semper arbitratus sum, antequam quis incipiat, opus esse ei consulto, ubi consuluerit, mature facto. Neomagum expugnare dudum cupiebam, cogitata tamen celabam, ne, si id hostes rescirent, urbi auxilio venirent. Exercitum ergo ineunte hyeme in castra deduxi. Deinde, nemine suspicante, magnis itineribus in Gelriam profectus, ad urbem accessi. Bellica instrumenta admoventur. Magna globorum vis in urbem projicitur. Postulavi ut se dederet. Præsidio quamquam male erat, dictum tamen facetum est aliquid. „ Me, scili-„ cet, esse juvenem procum, urbem virginem, hu-„ jus me connubium sine magno labore consequi „ non posse." At vide quam me impigrum dederim procum! quamquam virgo amanti nec blan-

da esſet nec mitis. Sed noveram præceptum magiſtri illius.

Perfer et obdura, postmodo mitis erit (*).

Munera ergo miſi, non poma quidem ex hortis Heſperidum, ſed ferrea, ſed ignea, qualia Mars et Vulcanus amant. Sed ne utar circuitione. Plebs, manu facta in curiam prorupit, magiſtratumque urbem cedere coëgit. Ego rebus conſtitutis, collocatoque præſidio, diſceſſi. Magnam hæc expugnatio mihi attulit lætitiam. Brevi enim erit, ut, qui in Gelria facere nobis poſſint negotium, ſuperſint pauci, quos nominis Batavi fama facile cohibere poſſimus, ut non opus ſit armis. Vale.

MAURITIUS IMPERATOR SUMMO RERUM BATAVARUM MAGISTATUI P. S. D.

Summa veſtra auctoritas fecit, meumque perpetuum de ſingulari cura veſtra in omnem rempublicam judicium, ut magni mea intereſſe putarem, res eas, quas geſſimus, quam celerrime vobis notas fieri. Cognoſcetis inde, quod vobis accidet jucundiſſimum, exercitus veſtri præclaram virtutem, et in laboribus ferendis incredibilem patientiam.

Quum Hiſpani Brabantiæ partem, excurſibus noſtris

(*) Perfer et obdura et ſeq.] Ovid. Art. Am.

tris apertam, occupasſent, eosque glaciem exſpectare per ſpeculatores mihi esſet delatum, ut aut Bredam aut inſulam Tholam ſubito impetu invaderent, ego non exſpectandum esſe ratus ſum, donec illi cogitata perficerent. Itaque, qua potui uſus celeritate, nocte intempesta; a. d. XXIII Januarii caſtra movi. Horam ab hoste aberam. Hi, ut post comperi, deliberarunt, quid factu opus esſet. Sententiis diviſis, hæc prævaluit, ut locum peterent magis opportunum et prælio, et, ſi uſus esſet, receptui. Itaque hujus rei perficiendæ cauſa abeunt. His cognitis postero die omnem equitatum præmiſi, pedites ſequebantur. Nec mora, equites noſtri agmen inimicorum extremum conſequuntur, et curſu concitato omnem exercitum Hiſpanum prætervecti, verſis ſubito ordinibus, ſigno tubæ dato, magna vi in pedites irruunt. Hi quod nec erant ſatis conferti, nec parati, re etiam improviſa territi, impetum non ſuſtinuerunt. Hic ingens cædes facta, quique potuerunt, armis abjectis, in fugam ſe dederunt. Interim pedites noſtri viam ſibi per ſilvam ſtravere, Hiſpanoque præſidio, quod parvulum fluvium tuebatur, dejecto, inimicos a tergo adoriebantur. Hoc ancipiti periculo oppresſi, reſistere porra auſus est nemo. Ceciderunt amplius mille, et in his ipſe dux Varax; capti quingenti. De nostris pauci occiderunt. Impedimenta et reliqua omnia in nostris manibus ſunt. Miſi ad vos ſpolia honorificentisſima, ſigna inimicorum novemdecim. Hæc loco aliquo poſita illustri, ſi vobis et ita videatur, civium animos ad fortitudinem posſint inflammare. Lætitia quam

quam patriæ cauſa e re bene geſta percipio, est magna; mirandum tamen in modum augebitur, ſi, quod brevi futurum ſpero, nos nobis de ea ſimus gratulaturi.

MAURITIUS IMPERATOR COMITI PARMENSI P. S. D.

S. V. B. E. Heri quum cæſos milites humari jusſisſem, repertum etiam et a ſuis agnitum est corpus Varacis, quem exercitus tui parti præpoſueras. Hoc ad te curavi perferendum, ut in terra patria more veſtro et ritu ſepelire posſitis. Humanum ſemper id arbitratus ſum, ut, quas bella calamitates et miſerias afferunt, omni ratione leniamus. Cenſebam etiam me hoc virtuti Varacis debere, qui in primis et ſtetit et pugnavit, ipſumque locum, quem tenuit, corpore texit. Neſcio enim quomodo etiam mortuos magis amemus, qui vulneribus adverſo pectore confecti ſunt, quam qui in fuga mortem invenerunt. In eadem quum te ſciam esſe ſententia, non credo me tibi fecisſe ingratum, atque habeo mihi perſuaſum, te, ſi in re noſtra posſis facere idem, hoc beneficio a nobis victum nolle, qui nolis armis.

EMI-

EMILIA P. S. D. CAROLINÆ SUÆ.

Hanc comparatam esse muliebrem conditionem, ut, quod videatur levissimum, quietem nobis nostram auferat! ut sensu quodam tristitiæ, cui favemus ipsæ, afficiamur! Ego, Emilia ista semper hilaris, læta, jucunda, subito facta tibi sum tristis, loca plurimum sola peto, amicarum consuetudinem fugio. Quid huic malo causæ sit? Novus hospes e Lusitania. Hic ut Hagam venit, in amicitiam nostræ domus etiam est receptus. Fecit hoc non solum nobile genus, est enim filius ejecti e Lusitania regis, verum etiam morum amabilitas. Aetas est juvenilis, forma honesta, vestitus munditiis simplex. Bone Deus! quæ indigna et miseranda pertulit! Eramus nuper in convivio frequenti. Omnia narravit; vultu sæpe in me defixo. Putesne quemquam fuisse, quem non movit ille? Amicæ nostræ lacrimas tenere vix poterant. Ego sic mecum: „ Hem! juvenem his annis, hac virtute, hac „ nobilitate hæc perpeti debere! At quam fortiter „ omnia! Timor animos degeneres arguit. Qui„ bus ille exhaustis, quam excelsi tamen et æqui „ est animi! Si tam magnus hic in adversis, quan„ tus fuerit in secundis!" — Hæc ego tum mecum. Nec dulcem insaniam sensi. Jam capta sum, habeo. Sic hospes ille huc venit, vidit, vicit. Nam diligo eum et vero etiam amo. Si me roget uxorem, conditionem accipere certum est. At quan-

quando, ubi, quomodo? Utinam ex hoc negotio essem expedita! Vale tu, nec mihi id succenseas.

MAURITIUS EMILIÆ SUÆ P. S. D.

In mediis tantarum rerum fluctibus atque procellis, quibus tantum non obruor, non mediocriter curas meas auxit fama de matrimonio tuo certis ad me auctoribus perlata. Primum, ne dicam quam indecorum sit me ex aliis hoc prius quam e te ipsa audire, quem deinde prius me scire oportuit, qui et frater tuus sum, ut nemo magis fortunam tuam possit intueri, et ad gubernacula patriæ sedeo, cui ut omnia salutaria e domo nostra, atque adeo a nobis omnibus eveniant, inprimis mihi prospiciendum arbitror. Quod utrumque ne ista re contra fiat, nimis vereor. Ad conjugium quod felix dici queat, summam animorum in omnibus rebus consensionem requiri, et quandam etiam conditionum similitudinem, dicere non attinet. Vobis autem diversa religionis ratio, diversus fortunæ status. Ille Romanam, tu, quam parentes et nos constituimus consuetudinem sequeris. Non hæc scribo, quasi juvenem Lusitanum ideo faciam minoris; sed cogita, an non ista diversitas animos vestros aliquando possit alienare. Nec obliviscere te Gulielmi illius esse filiam, quo patre ne gloriemur quæso nos natos, nisi tanto generis auctore nos dignos geramus.

Quod

Quod ille se filium ejecti e Lusitania regis prædicet, vereor, ne, ut multi facere solent hospites, isto se nomine jactaverit, commendandi sui causa. Sed sit ille ipse, quem dicit, petiturusne tibi videatur nuptias tuas, nec potuis dignitatem tuam nobilitatemque, per quam pristinam dignitatem recuperet? Quare omnino censeo hanc tibi conditionem non esse accipiendam, quæ et tibi, et generi nostro, et vero etiam patriæ possit esse damnosa. Exclude itaque hospitem illum a consuetudine, a sermone, ab animo, omnemque illius memoriam depone. Quamquam primum id erit difficile, ut vestrum audio esse ingenium, ipse enim de his rebus non multum laboro, facile tamen evadet ferendo. Quo acrior pugna, hoc præclarior victoria, neque hæc ad te solam, sed ad nos etiam pertinebit. Vale, et meum in te amorem, ut semper, magnum esse crede.

EMILIA MAURITIO P. S. D.

Summopere me a te amari, semper arbitrata sum. Sed ex proximis literis, quas ad me dedisti, ne de lacrimis dicam, quas mihi excusserunt, animum tuum in me cognovi talem, qualem nulla re merita fui. Bone Deus! quid est quod tanta reprehensione dignum commiserim? Famam conjugii mei ad te esse perlatam prius quam ipsa de hac re scripsissem, quid quæso novi, aut si novi, quid mali? Nihil dum certi erat constitutum. Animus autem fu-

fuit tam diu exſpectare. Nunc vero certiorem te conſilii facio, quod tandem cepi, a quo nunquam me ſcito esſe diſcesſuram. Deum optimum maximum teſtor, quot dies noctesque cogitando miſere conſumſerim, et quam modo hoc modo illuc fuerim impulſa. Amat me Emmanuel meus, et ipſa eum amo vicisſim. Spem nuptiarum dedi, fidem dedi, datam ſervabo. Perſuaſisſimum mihi est, hunc esſe, quocum, quod vitæ ſuperſit, bene beateque traducere posſim. Genus illius non est cujus te pudeat. Unde hoc norim? Vidi documenta, vidi ſigna, quamquam animo candido et vultui honesto multo majorem habebam fidem. — At non abundat divitiis. Neque ego. At unus omnium mihi, inſtar est divitiarum, ut cum illo paupertate, quam cum alio quocunque maximis theſauris frui velim. Religio diverſa ne minimum quidem inter nos pariet disſenſum. Puteſne illum ſuam voluisſe componere ad meam, ſi id mihi gratum esſet? Dixi autem mihi perinde esſe; imo gratius ſi ſuam ſervaret, pietatem et amorem in quavis religione placere. Uterque igitur Deum vere atque ex animo colemus. Hac in re autem nulla est diverſitas. Mali a me nec a conjuge orietur publice nihil. Patriam meam, æque atque tu, quamquam femina ſum amo. Quod ſi ſuſpicarer tantum ultro in exſilium abirem. Sed non fiet. Peto ergo a te, carisſime frater, ne conſiliis meis obſtes; quod ſi feceris, omnia ſumma me a te conſecutam esſe arbitrabor. Si tamen animum eundem ſerves, cogita quam injuſte mecum agas, cui, quod negari nemini posſit, quod non negetur ſororibus, id neges. An vero voluntati

ti meæ, an amori vis est adhibenda, ut viro nubam, quem consilia, ut significare videris, patriæ, non animus meus postulent? Novi Mauriti, quam exiguum in me sit ingenium; sed illud novi, patriam hæc a me postulare non posse, multo minus te, cujus consilia et patriæ, ut sunt, esse debent eadem. Quare, iterum scribo, ne me perditum eas; sic enim consilium capiam, quod causa mihi honesta et amor dederint (*). Vale.

LOUISA COLIGNIA MAURITIO SUO.
P. S. D.

Quando temporis istius dieique recordor, Mauti, et recordor sæpissime, quo Gulielmum, patrem tibi meliorem an mihi maritum, utrique certe, ut esse debuit, carissimum, amisimus, me tanto temporis intervallo nondum eluxisse nec lacrimas exaruisse sentio. Quod si mirum forte tibi videatur, nec

(*) Sic enim consilum capiam et seq] Quod et brevi post Emilia cepit. Quum enim Emmanuel, jubente Mauritio, Belgium relinqueret, præclaram vocem edidit ,, Quod ,, Deus conjunxit, id ne homo disjungat." Mox in morbum incidit. Ex quo quum aliquantum convaluisset, maritum secuta est. Tandem aliquando venia ei data est in patria cum Emmanuele vivendi, ubi liberos aliquot peperit, vixitque arctius quidem pro generis dignitate, at felicius quam propinqui amore domestico et caritate suorum. Mortua est Genevæ.

nec me ratione ad leniendum dolorem uti arbitrere, quamquam credo non arbitrabere, in memoriam tibi redige moerorem istum luctumque publicum, non fubitum aut levem, fed verum et diuturnum, nec qui hos modo attigit, hos non attigit, fed quem omnis patria fuum habuit. Quod fi fenatus, equites, populusque tanto cum gemitu funus parentis fui funt profecuti, quantum fibi in illo amisfum cenfuerunt, quid nos facere oportet, quibus Gulielmus aliis etiam nominibus merito fuo erat carisfimus? Unum memorabo, fed gravisfimum fanctisfimumque, quod tantæ illi fuit curæ, innumeris licet a negotiis diftricto, quantæ vix ulli, vestram volo educationem. Ac tenera quidem ætate, qua rerum tibi humanarum fenfus et exiguus et puerilis erat, quam fpem, metum, et follicitudinem eum pro te fuftinuisfe putes, quibus precibus Deum adorasfe, ut, qui civis evaderes princeps, bonus et pius civis evaderes? Quæ natu aliquanto major et exemplo illius et præceptis didicisti, hæc omitto, ut quorum femper recentem tibi fore memoriam dixisti. Interim ille occiditur. Qualis mihi tunc animus fuerit, nec tu, nec quisquam, nifi tua mater et uxor Gulielmi, intelligere potuit (*).

Omnis cogitatio et cura, quam nobis falutis tuæ, hoc est educationis ratio, afferebat, in me unam recidit. Huic faluti tuæ a me omne id tempus ita con-

(*) Tua mater et feq.] Quamquam Mauritio mater erat Anna Saxonia, quam res fuas fibi habere jusfit Gulielmus. Vid. Fafc. I. Epist. Exc. Bat.

consultum est, ut officio bonæ matris functa esse videar cum patriæ tum amicis. Et ingentes Deo immortali habeo gratias, te aut spei meæ aut exspectationi satisfecisse. Quod si enim patriæ magni intersit, ut omnes cives boni evadant homines, quanti ejusdem interesse putes, ut hi tales evadant, quorum consiliis et virtute in pace et in bello, domi et foris, utetur, in quorum mores et ingenium civitas intuebitur? Hæc ideo scripsi verbosius ut consilium, quod tibi in rem tuam, non quidem dederim, sed in memoriam reduxerim, nec te enim hæc latent, a matre profectum putes, quæ te diligit, amat, et in oculis fert, non a cavillandi cupida. — Omnes homines, mi Mauriti, nati sumus erroribus obnoxii; habet suas quisque virtutes et vitia; nescio autem quomodo, præsertim in juventute, in virtutibus nostris acutissime cernere, in vitiis connivere soleamus. Quod quum probe nosset hominum quoddam genus humile, virtutibus nostris semper in ore habendis et laudandis, vitiis occultandis et dissimulandis, arte utrumque turpissima, nobis blandiri, rectumque sensum exstinguere coepit. Talibus, ut arbores altissimæ tempestati, maxime expositi sunt viri principes, ad quos se lucri gratia applicant, causas cæterum honestissimas præ se ferunt. Hi, ut principi sunt perniciosissimi, sic contra utilissimum aliud hominum genus exortum est, integrum et justum, qui non modo hoc modo illud, sed semper idem, quod est verum, dicere solent. Ad hos pertinet Oldenbarnieveldius ille, cujus tu amicitia et consiliis frequentius antea quam nunc, uti solebas. Ignoras, ignoras bona tua. Senex ille, capite cano,

vul-

vultu ſemper eodem et mente, longa experientia, animo vere Hollando, amicus, ſi quisquam Mauritii, ille ergo ab hoc negligitur! Et qua in re amor illius in patriam non eluxit, æquitas non perſpecta, juſtitia non ſervata, integritas non cognita est? Crede mihi, talis ac tantus vir, tibi et patriæ magni est inſtar exercitus. Videſne Agamemnonem, quem tu admirari olim ſolebas, optare, non ut Ajacis ſimiles habeat decem, at ut Nestoris? Sic enim fore putabat, ut Trojam brevi esſet expugnaturus. Oro te igitur atque obſecro, Mauriti, ſi me, ſi patrem, qui, quæ agis, et novit et ſentit, ſi denique patriam amas, cogites Oldenbarneveldium tam tibi esſe amicum, quam qui est maxime. Redite in gratiam amicitiamque, ab his interruptam, qui, ſi Deo placet, tui et patriæ amici cenſeri volunt, at inimici et ſunt et cognoſcentur. Hac re ut et mihi et omnibus bonis gratisſimum feceris, ſic magnam demſeris ſollicitudinem et timorem. Vale.

*

EPISTOLÆ ALIQUOT EXCELLENTIUM BATAVORUM, CONSCRIPTÆ

A

PETRO HOFMANNO PEERLKAMP.
GYMNAS. DOCCUM. RECT.

FASCICULUS III.



HARLEMI,
APUD ADRIANUM LOOSJES, PF.
MDCCCVIII.


KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

ÆQUO LECTORI

P. S. D.

P. H. PEERLKAMP.

Quum Vitæ Excellentium Batavorum hominibus eruditis non displicerent, iidemque arbitrarentur non male me isto labore juventuti consuluisse, imo me incitarent, ut, quid in hoc genere possem, ulterius tentarem, animum ad scribendas epistolas appuli; quarum quoniam nunc corpusculum confeci, hæc videntur monenda. Neminem scilicet sermone uti posse bene Latino sine diligenti veterum, eorumque optimorum, lectione ac imitatione certum est. Ut igitur in Vitis ad Cornelium Nepotem me composui, sic in Epistolis non diu dux aliquis, quem sequerer, mihi fuit quærendus. Eminet enim Cicero, vir ille summus, cum in aliis scriptis, tum in epistolis adeo, ut omnes longo post se intervallo relinquat. — Eum itaque secutus sum. Ipsæ autem epistolæ Batavorum ma-

maximam partem a me fictæ ſunt, ita tamen, ut ſumma ope fidem hiſtoricam ſervare, et nihil dicere ſtuduerim, quod a moribus et ingenio Batavi esſet alienum. Istas quoque res plerumque ex historia patria ſelegi, quas juventuti arbitrabar jucundisſimas, quæque in Vitis a me narrari non potuerunt. — De reliquis aliorum esto judicium. — Quod ſi hoc etiam labore utilitati et voluptati ingenuæ juventutis aliquid attulisſe dicar, magno hoc mihi erit gaudio.

Doccumæ a. d. XIX. Aprilis MDCCCVIII.

JO-

JOANNES OLDENBARNEVELDIUS
WYNGARDENO SENATORI
P. S. D.

Quæ Leicestrius in Hollandia moliatur, quibus rebus ſtudeat, ut ſcirem, dudum omni arte elaboravi, [conſilio enim pugnare jam ſerum erat,] et tandem ſummo ſtudio conſecutus ſum. Id nunc mihi acrius ſuccenſet. Jam pridem elatum et ferocem Anglum offenderam, quod quæ imperaret et faceret, non laudarem, aut otioſus adſpicerem. — Relinquo hoc aulicis, aut quos pecunia ſuos regulus ille fecit; ego, quotiescunque a jure diſcedat, atque utinam rarius diſcederet! voluntati illius dicam an libidini, reſiſtam, civiumque libertatem a tanta conſiliorum audacia et temeritate tutam præſtare enitar. Nec multum offenſionem et inimicitias curo. Talium ego hominum odium ſuſtinere, quam amicitia frui malo. Quali in me nunc ſit animo, quid narrem tibi, qui me de inſidiis illius amantisſime atque fidisſime multo ante admonuisti? — Lectis, quas nocte ad me dediſti, literis, nihil ab illo non timendum arbitrans, ſtatim Delphos me contuli. Ibi fama exierat me et Mauritium et alios quosdam juſſu Leicestrii in cuſtodiam datos, et in Angliam abductos esſe. Hoc ego non negligendum judicavi, ſic cogitans, adverſariam factionem id, quod maxime cupiat, data opera in vulgus edidisſe. — Curabo itaque ut quam fieri posſit celerrime, Mauritius Haga diſcedat. Non enim hæc loca tuta illi. Dicitur etiam Lei-

cestrius milites in præſidio habere. — Adeo civi, eique principi, in ſua ipſius civitate a peregrino cavendum est! — qui cum (*) Cæſare illo Euripidis abuti non veretur.

Nam ſi violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Interim tantum tibi me pro eo quod me monueris, debere profiteor, quantum est maximum, neque illud officium unquam apud me intermorietur. — Si mea opera uti poſſis, pari me erga te ſtudio et voluntate cognosces. Vale. —

OLDENBARNEVELDIUS HUGONI GROTIO P. D. S.

Multos eosque ſapientes homines et graves ad publica negotia non acceſſiſſe, ſeque in otio abdidiſſe accepimus. Hi ſi minus ea re ad communem utilitatem contulerint, quam poſſent, et forte etiam deberent, vitæ certe tranquillitati longe melius conſuluerunt. Vivunt, ut volunt. Occupati ſunt in rerum divinarum humanarumque ſtudio ac contem-

(*) Suet. Vit. Cæſaris, ex Cicerone narrat, Cæſarem ſemper in ore habuiſſe Euripidis verſus. Sunt autem in Phoen. Act. II.

'Ειπερ γαρ ἀδικειν χρη, τυραννιδος περι
Καλλιστον ἀδικειν, τἀλλα δ' ἐυσεβειν χρεων.

templatione, et, quasi in portu, omnes fluctus et procellas civiles adspiciunt. Quam multa contra iis toleranda, qui se ad rempublicam accommodarunt! Ferendi mores populi et principum. Agendum est, consulendum est, vigilandum est. Suscipiendæ adversariorum inimicitiæ et odia. Quid quæris? Jactura existimationis et bonorum, vitæ ipsius periculum, hæc quotidie ante oculos proponenda; quum tamen nihil boni videas, nisi bonam causam. Sed quid ego hæc ad te, quæ probe nosti? — Aut potius quare hæc non multo ante cogitatione præceperam, quibus plena sunt omnia veterum monumenta, ut usu hæc discere non opus esset? — Non me latebant hæc, mi Groti; imo, quum patria operam meam posceret, me ad omnia muniebam, quæ mihi in re publica, non optima illa, sed perturbata aut aliqua modo, evenire possent. Sed cogitabam me in ea incidisse tempora, quibus verus erga cives amor et fictus, ut aurum igni, dijudicari cognoscique posset. Itaque ut caros semper habui liberos propinquos et familiares, sic cives, qui omnes omnium caritates continerent, habui carissimos. His quidquid cura mea, labore, studio et arte effici potuit, multos annos effectum est. Pro libertate illorum, pro juribus, pro salute acerrime domi et foris steti, nec unum hominem plus quam rempublicam posse, tuli. Qua re inprimis, et quod nunc pacis auctor fuerim, multorum inimicitias mihi conciliavi. Acerrimo me igitur odio et ille, qui unus omnia esse vult, et qui ab illo pendent, prosequuntur. Quo si dignus sim, ille novit, qui omnia novit." — Multa oculi mei

vix ferenda tulerunt, et doluerunt. Tantas autem indignitates ferre, et solum dolere, non possunt. Me, qui per triginta annos Hollandiæ, ut mihi ipsi, aut magis etiam, consului, me hanc nunc esse proditurum! At quos fructus tam nefarii sceleris me sperare dicant, qui senex sim, qui Deo brevi factorum meorum rationem reddam? — Sed quid verba perdo, ubi rerum testimonia adsunt? — Ista vero calumnia tanto me affecit dolore, adeoque constantiam meam, si qua antea fuit, labefactavit, aut potius omnem eripuit, ut coram frequenti senatu, quem nuper Hollandiæ summi magistratus habebant, munus me meum deponere dixerim. At illi postero die ad me miserunt, rogantes ne patriæ in rebus tam turbulentis operam meam deësse sinerem; maxime enim, quod et ipsi et omnes boni sibi habebant persuasum, desiderare. Quid facerem? Patriæ negare nihil possum. Consilium itaque mutavi, meque consolatus sum, et deinde consolabor recte factorum conscientia, et illorum magistratuum aliorumque bonorum amicitia. — Quamdiu autem statum meum tueri potero, illud mihi quis præstet? Eum autem ad finem tueri certum est ac deliberatum, quoad me vis publica dejecerit. Calumniam certe, ut a saxo fluctus franguntur, frangere conabor, neque a proposito meo nec consiliis superiorum temporum discedam. Hæc quia patriæ utilia et optimi quique et ipse usu experti sumus, semper erunt eadem. Vale, mi Groti, et cura, ut quid agas, sciam.

OL-

OLDENBARNEVELDIUS UXORI CARISSIMÆ P. D. S.

De me quid factum fuerit breviter ad te perscribam. Verendum scilicet ne nos ipsa charta prodat, aut potius novas tibi miserias cruciatusque pariat. A. d. igitur XXIX. August. nihil tale suspicans in custodiam datus sum. Certiorem tum te ipse facere non potui. Omni enim epistolarum commercio atque amicorum statim interdictum est. Existima si possis, ut potes, quantæ hoc mihi fuerit sollicitudini, et hoc per totos septem dies. Nihil egi nisi curis gravissimis tui causa me ipse fere confeci. Has filii et amici heri aliquantum levarunt. Hi scilicet prudentissime caverunt, ut fortunam meam prius suo sermone quam rumore cognosceres. Perturbatam te fuisse non miror. Nunc animo te esse magis confirmato gratulor et laudo. Fac ut in eadem constantia, quidquid mihi eveniat, permaneas, atque ea, quæ minus velis, animo ac cogitatione habeas præcepta. — Prâvum est nostrum sæculum, et præceps rerum impetus. — Quam sæpissime, ut facis, Deum precare, ut nos ex his turbis expediat, hominem precare nullum. Omnia quæ pro patria feci optimo animo feci. Vixi innocens, justus, et propositi tenax. Idcirco hic sum. Plura per filios cognosces. Vale. —

GROENEVELDIUS (*) PATRI SUO CARISSIMO P. S. D.

Ego et bini (†) ſoceri tui Mauritium heri convenimus. Rogavimus, quod non indignum perſona tua cenſuimus, ut domi tuæ te cuſtodiri juberet, ſenectutis cauſa. Negavit id ſui juris eſſe, et, patri, inquit, veſtro, nihil mali accidet. Utinam vere atque ex animo illud dixerit! Qui amici tui in rebus ſecundis fuere, iidem ſunt in adverſis, paucis exceptis, qui Hagam reliquerunt. — Schagenus et Asperenus (§) recta conclave, in quo erat Mauritius, petierunt, deque libertate tua agere auſi ſunt. — Ab iis, ſine quibus nemo ad Mauritium admittitur, tumultus excitatus est. Mauritius equitibus arma adimi, ipſosque ſervari juſſit. Non multo post autem ita captivitate ſoluti ſunt, ut dextris datis promittendum illis fuerit, ſe die dicto parituros eſſe. — Fortiſſime etiam contra rerum mutationem ſtetit in ſenatu Amſtelodamenſi Hoofdius (**). — Graviſſime cauſam tuam, nomine regis Galliæ, egerunt illius legati. Interim de quatuor et viginti judicibus, qui omnem rem cognoscant,

(*) De Heer van Groeneveld.

(†) Erant illi van der Myle et Veenhuizen.

(§) Van Schagen et van Asperen, equites Hollandi. [Beſchreven in de Ridderſchap van Holland.]

(**) Cornelis Pietersz. Hooft. Pater erat Hoofdii, de quo in Vit. Excell. Batav.

cant, nescio quid audivi. Ut certi aliquid sciamus, omnem dabimus operam. Serva, optime pater, constantiam tuam, et virtute te tua involve. Vitam inimici adimere tibi poterunt, hanc non poterunt. Mater nostra, pro ea scilicet, in qua est, fortuna, bono est animo. Vale. —

OLDENBARNEVELDIUS UXORI SUÆ P. D. S.

Quod nec ego nec tu exspectare, et victi odio inimici solum cupere potuerunt, accidit. Actum est de me scilicet. Capitis condemnatus sum. Ne tu dolori tuo nimis indulge, carissima uxor, nec filii, nec amici. Multa mei causa tulisti, et hoc perfer. Non te decet in hoc extremo actu tibi deësse, quæ reliquas vitæ partes tam bene egeris. Mors me non imparatum nec valde trepidum offendit. Quod publice mihi, ut reo, moriendum est, non valde te illud moveat. Causa supplicii, quæ probabilis dici possit, æque me latet, atque tam insperata fortuna latuit, nec ullius mihi culpæ conscius sum. Et quum innocentiam meam judicibus præstare non licuerit, Deo præstare licebit, qui me et omnia consilia mea, ut se ipse, novit. Erigit etiam, erigit se animus meus, posteritatem integram judicem prospiciens. Hæc ut (*) nullum invidiæ aut odio,

(*) Non cogitabat senex optimus fore olim qui jure se occisum dicerent.

odio, ſic ſuum veritati locum dabit. — Cæterum per Deum te immortalem oro atque obteſtor, Maria (*), filios et cognatos etiam atque etiam meo nomine admoneas, ut (†) omnem iræ aut vindictæ cogitationem removeant procul et abjiciant. — Ignosces (§) mihi quod te et liberos noſtros videndi data a judicibus facultate non utendum cenſuerim. Verebar ne amplexus veſtri, a quibus nunquam non ægre divelli potui, iis me vinculis denuo conſtringerent, quibus jam ſolutus ſum. Nec vero etiam longum erit diſcidium hoc noſtrum. Vale atque ave, ſaluta a me familiam, et cogita non male mihi futurum. Deus enim Deus eſt judex integerrimus.

(*) Maria] Nomen uxoris erat Maria van Utrecht.

(†) Ut omnem et ſeq.] Notum eſt filios his precibus non paruiſſe. Cæterum eandem animi magnitudinem in bono Phocione laudat Aelianus. Ἐπει δε ὠρεξεν, inquit, ὁ δημιος την κυλικα, οἱ προσηκοντες ἠροντο, ἐι τι λεγοι προς τον ὑιον. Ὁ δε, Ἐπισκηπτω ἀυτω, μηδεν Ἀθηναιοις μνησικακησειν ὑπερ της παρ̕ ἀυτων Φιλοτησιας, ἡς νυν πινω. — Aelian. V. H XII 49.

(§ Ignosces et ſeq.] Uxor et liberi illud a judicibus petierant. Judicis ſenem capitivum rogarunt tantum, ſi vellet eos ante mortem inſtantem videre, votum uxoris et liberorum tacuerunt.

JO-

JOANNES FRANKENUS MARIÆ ULTRAJECTENSI. P. S. D.

Ego vero libentisfime eam, de qua fcripfisti, conditionem accipio. Quidquamne jucundius fideli fervo accidere posfit, quam post interitum optimi heri, in domum atque fidem uxoris recipi, idque extrema heri voluntate commendatum! Animus hic fi ultra fortem meam tollit, nec vestrum istum in me amorem maximis pecuniis aut principum favore facile permutem. Faciam, ut cupis, et quotidie tecum de Oldenbarnéveldio loquar. Narrabo tibi non illius quidem pietatem, optimam indolem, rectum ingenium, hæc enim tibi cognita, fed cæterarum virtutum ignota tibi documenta, et, quæ ipfe vidi, exémpla. —— O gratum mihi laborem narrandi, tibi audiendi! Hic quidem me tamdiu delectabit, quoad Deus me ad illum evócet. — Noctem, quæ illi in carcere fuit postrema, quoties cogito, [et quando non cogito?] toties lacrimas, quantumvis fenex fim, cohibere non posfum. Idque præ dolore nefcio quo. Dubito enim quomodo appellem, gravem an lenem. Gravem, quod maximo natu fenex, de patria optime meritus, et patriæ, ut audivi et cognovi, amantisfimus [et esfe debuit, quis enim illo pius magis et justus?] quod illi ergo, fecuri percusfo, fuerit pereundum. Lenem, quod inimicis tam placide ignoverit, mortem tam intrepide contemferit, et ex hac vita ita discesferit, quafi qui in veram vitam et meliorem

discederet. — Et merito. Nam qui ut ille vixit, ut ille mori potest. — Erat cum hero in carcere Antonius Walæus (*). Hunc ad Mauritium misit, rogandi causa, ut, si qua in re eum imprudens offendisset, sibi ignosceret. Capitis (†) tamen judicio ut intercederet, rogari eum noluit. Magnus mihi semper visus est Oldenbarneveldius, hic autem se ipso major. Sed quid est quod homo, et talis qualis ille fuit, morti vicinus non possit? — Interim Lamotius et Beyerus Walæo accesserant, maritum tuum consolandi causa. Multa de animi immortalitate, hominum peccatis, judicio, quod olim erit, Dei supremo, loquebantur. Ultimis heri verbis, quibus ad eos usus est, etiam aures mihi personant. „ Homo fui, inquit. Suis quisque „ erroribus: et peccatis obnoxius est. Non alia „ conditione nati sumus. —— Deum ut optimum „ patrem, et qui lubens ignosceret liberis suis, „ semper colui. Hanc mortem, quæ brevi instat, „ ut meruisse me profitear, animum inducere non „ possum, nec vos efficietis. —— Vestra ego cau- „ sa lætor vos nescire, quantum sit solatium culpa „ vacare. —— Sed quid Grotio meo, quid Hoger- „ be-

(*) Antonius Walaus, Interpres Sacrarum Literarum Medioburgi.

(†) Capitis tamen et seq.] Quare et postea vidua Oldenbarneveldii, quum Mauritium oraret ut vitam Groeneveldio, qui mortis erat condemnatus, largiretur, et ille dixisset, quare non idem pro suo conjuge orasset, respondisse dicitur. „ Conjux meus nulli culpæ erat affinis, filius est affinis. —

„ becio accidet? An et illi, ut ego, morientur? —
„ Magno mihi hoc esset dolori. Ego quidem senex
„ sum, et brevi tantum tempore respublica opera
„ mea uti potuisset. Illis contra ætas virilis, at-
„ que integræ animi et corporis vires." — Ad hæc illi dextris datis discedunt. Quod noctis supererat, frustra herus dormire tentavit; legendo itaque Davidis carmina consumsit. Summo jam mane maxima constantia lictores exspectabat. Quid (*) multa? Jam ab iis, qui judices appellantur, ad Deum judicem discessit. Illi nihil, nobis autem accidit, si quid accidit. Sed hoc ut ferendo minuamus et nostrum est officium, et mariti tui voluntas. Vale,

(*) Quid multa? —] Quanta atrocitas seni coram judicio ferenda fuerit, in Vitis Exc. Batav. a me narratum est. — Hinc ad locum editum, e ligno ædificatum, tarde at vultu constanti procedens, secum ingemuisse dicitur, memor forte pristinæ in civitate dignitatis „ Proh Deus! „ quid de homine fit? —" [O God! wat komt 'er van den mensch? —] Ad hæc Lamotius longam fecit precationem. — Mox paucis Oldenbarneveldius multitudinem allocutus est. [Cf. Vit. Bat. pag. 39.] et, servo adjuvante, vestes exuit, caput, splendescens canis, tegumento obnubsit, [tegumentum erat eene fluweelen slaapmuts,] et in genua ante tumulum arenæ procumbens, lictori dixit, „ Fes-
„ tina, festina." [Maak het kort.] Ille uno ictu caput cervicibus abscidit. Simul avulsæ sunt digitorum extremitates, quos manibus orans sublatis cervici admoverat. — Alii odio, alii amore, lintea sanguine illius tinxerunt. Corpus nocte clam sepultum est. — Sunt, qui dicant, Mauritium suis oculis supplicium vidisse. —

le, et fic cogita, fervum me tibi fore fidelisfimum, tuique amantisfimum.

HUGO GROTIUS OLDENBARNEVELDIO
P. S. D.

Ipfe quamvis brevi ad te esfem perventurus, facere tamen non potui, quin epiftola prius tibi ostenderem, quantæ mihi benevolentia tua esfet voluptati, quod me tibi, Parifios abituro, comitem non negaveris. Ipfe fi fingere voluisfem, nihil profectó, quod hac ætate mihi jucundius et vero etiam utilius esfet, cogitare potuisfem. Primum quod peregrinas terras vifendi magno femper flagraverim defiderio, [credo, quod proprium hoc fit ætati meæ.] deinde, quod fine dubio multa in tali itinere fim cogniturus, quæ ingenium ornare, animum acuere, et mores humanitate quadam imbuere posfent. — Cæteris quidem ad huc fatisfecisfe videor omnibus, mihi ipfe non fatisfeci. — Aliquot annos ita in literarum ftudiis verfatus fum, ut (*) qui

(*) Ut qui fibi et feq.] Sententia Grotii erat, quam a pueris jam femper ante oculos habebat. „ *Hora ruit.*" De qua poëta quidam.

Maar duidelijker fpreekt een ftem;
Uit duizend duizend wisfelingen,
Herhaald door onzen Landgenoot
Den grooten Denker Huig de Groot:
„ De Tijd fnelt ijlings heen."
Waardeert hem, Stervelingen! —

qui ſibi habeat perſuaſum, tempus rem eſſe pretioſiſſimam, et, quo celerius præterlabitur, hoc magis juvenem eo uti decere. — Aſſidua ergo intentione et ſolitudine adhæſiſſe mihi aliquid videtur, quod quomodo appellem neſcio, ſed in vita communi forte ſubruſticum dicetur. Hoc, quidquid ſit, peregrinatio facile abſterget. — Hæc de itinere. — Quid autem de te, quocum illud ſuſcipiam, qui non uno nomine mihi futurus ſis utiliſſimus, homo non ſolum præclaræ ſapientiæ et multarum virtutum fama inſignis, verum etiam publica legatus auctoritate; ut adeo tua me amicitia non ſolum reddituta ſit multo peritiorem, quam ſum, rerum humanarum, verum etiam aliis commendatura. Ne jam de regibus, principibus, aliisque nobilibus viris dicam, quos videre aut convenire, te volente, potero. — Vides quam gratum mihi feceris, qui utilitatem voluptatemque propoſiti itineris jam ſpe præcipio! Ingentes pro eo tibi ago gratias, et omni opera enitar, ut me comitem habeas, cujus te non poeniteat. Vale et me ama. —

GROTIUS MARIÆ REIGERSBERGIÆ
P. S. D.

Ecce tibi fortunam meam, cujus diu fui incertus, tandem cognovi. Omnis mihi, quæ reſtat vita, in carcere ducenda est. Bona publicata ſunt. Primum iſta res vehementer animum movit. Qui enim aliter fieri potuisſet, præcipue amiſſa liber-

ta-

tate, quam quis non adeo expetit, ut pro ea nec mortem dubitet oppetere? Deinde vero, quum tuum fummum in me amorem cogitarem, quæ me nunquam, quantum in te fuerit, reliqueris, et mecum repeterem, qualis esfe femper ftuduerim, quibus armis me in rebus adverfis defendere posfim et debeam, nec omitterem denique tantam temporum acerbitatem, adeo me ipfe erexi, ut hanc fortem fere jam in confuetudinem adduxerim. —— Supplicium Oldenbarneveldii tantum mihi attulit dolorem, ut ipfis ejus filiis majorem afferre non potuerit. — Caufa tanti odii est injusta; fed hoc infestius. Paucis post diebus ab eodem judicio damnatus fum. Vix meliorem fortunam fperaveram. Quod, ut nunc, discesferim, hoc Deo acceptum refero. — Nihil est quod nunc æque atque adfpectum tuum et colloquium defidero. Brevi enim ego et Hogerbecius hinc in carcerem Lupefteinium deducemur. Vale. ——

GROTIUS UXORI CARISSIMÆ
P. S. D.

Si tu vales, uxor carisfima, ego quidem valeo. Heri in novum domicilium perveni. Fores ingrediens, novo quodam tristitiæ fenfu, ob amisfam nimirum libertatem, afficiebar. Brevi tamen ipfe mihi perfuadere conabar, fpeciem hanc esfe libertatis falfam, non ipfam libertatem. Quid enim? Tecum quotidie esfe, te videre, a ftudiis literarum requiefcere

fcere in complexu tuo atque finu, hæc vita mihi femper cum grata tum libera vifa fuit. Hanc fæpe defideratam, nunc autem temporum aut mea fortuna five necesfitate mihi oblatam, me invitum accipere non decet. Lupus (*), ut est in fabulis recte libertatem currendo quo velit, metitur. Non is ego fum, qui animum iisdem finibus, quibus corpus, cohibere necesfe habeam. — Hæc adfperfi, ut fcires, quali fim animo, qui etiam jocari posfim. — Sed præterea non video, quid me in publico adfpectu retinere magnopere posfit, fpoliatum domefticis et forenfibus ornamentis, amisfo fideli amico et laborum focio, et mei in patriam amoris æmulo. — Vivam itaque hic, ut debeo, lætus amore tuo, fecurus in portu atque perfugio literarum; quæ, quod hanc fortunam non valde inique fero, me jam laudare videntur, et brevi credo efficient, ut omnia, præter te, amicos, et patriam, in oblivionem vertere posfim. Vale, et veni ad me, quam posfis, celerrime. —

GROTIUS MAURIERIO SUO
P. S. D.

Amicitia, quæ est inter nos, fumma, mi Maureri, tuorumque in me omnium officiorum multitudo postulat, ut quam primum dato tempore utar communicandi tecum fubitam fortunam meam fortisque commutationem. Beneficio igitur divino et in-

(*) Lupus, et feq.] Phædr. L. III. Fab. VII.

incredibili carisſimæ uxoris amore atque cura e carcere liberatus ſum, in quem me, ſpretis proculcatisque legibus et omni jure, inimica factio compegerat. -- Nunquam equidem Deum O. M. ſatis laudare potero, qui talem mihi dederit uxorem, qualis mea, quam noſti, Maria. Ut cæteras illius omittam virtutes, ob quas non minus mihi cara est, quam quod uxor est, mecum in carcere vixit, me ex eodem carcere liberavit. —— Quotaquæque (*) mulierum reperitur, quæ omnia minoris faciens, ſolum mariti amorem intueatur, nec vereatur eum ſequi in locum, in quo rebus ſibi plerisque ſciat esſe carendum, quæ vitam reddunt jucundam? —— Et tamen illa me non ſolum non deſeruit, verum etiam omne illud tempus ibi contenta mecum et hilaris permanſit. Credas me nunquam aliquid aut ex vultu vidisſe aut ſermone audisſe, ex quo vel ſuſpicarer conſilii illam ſui poenitere? Nihil, mi Maureri, ferebat iniquius, quam quod interdum caſum, non meum, ſed illius deplorarem, quæ mea cauſa in rebus esſet adeo adverſis. Quid diceret? „ Mitte hæc, mi Hugo, mitte. Ego
„ quum data dextra conjugii fidem tibi dedi, ſancte promiſi omnes etiam calamitates tuas meas
„ futuras. An me cogitasſe cenſes nos in matrimo-
„ nio nostro proſpera ſemper fortuna uſuros esſe? —
„ Imo cogitabam, ut ſortem esſe incertam, ſic
„ amorem nostrum certum. Mihi ubique bene est,
„ ubi

(*) Quotaquæque et ſeq.] Uxor Hogerbecii etiam cum marito in carcere vixit. Neque tamen diu. Brevi enim ibidem mortua est. —

,, ubi tecum sim. Quod ni facerem, me indignam ,, te præberem." — Ab eadem uxori, quæ se in carcere talem præstitit, libertati etiam meæ redditus sum; idque ea ratione, quam si ab altero audissem, dicerem incredibilem. — Sed quæ huc pertinent, narrabo tibi, et quod omnia ipse recordans divinum etiam beneficium recordor, et quod scio minutias etiam, quæ ad meam aliquid salutem et libertatem conduxerint, tibi esse jucundissimas. — Erat ergo mecum in carcere uxor mea, dataque illi erat facultas cibi nostri parandi, et certis diebus Gorichemum abeundi, ubi, quæ in re domestica opus essent, emebat. — Gorichemi hospitio utebatur Abrahami Daatselaari, qui mercaturam rerum muliebrum facit. Ea quæ ex Hollandia ad nos erant perferenda, aut a nobis eo mittenda, ille curabat. Sæpe jam arca libris referta missa ac remissa erat, quam primum, ut fit, arci Lupesteinio præfectus, explorabat. Quum nihil tamen, nisi libros in ea reperiret, hujus eum laboris tædere coepit, idque facere destitit. — Hic uxori, quam nihil omnino effugit quod mihi esset utilitati, in mentem venit, an non fieri possit, ut ipse pro libris ex arce efferrer. Quid multa? Placet mihi inventum. Tento latebras novas, quomodo et quamdiu in iis esse possem. Arca longa erat vix pedes quatuor. Aër per rimam, cui clavis inseritur, erat excipiendus. — Sed quid pro libertate non facias? Deum igitur, ut huic incepto adesset precatus, carissimamque uxorem non sine lacrimis amplexus, me immisi. Cavis arcæ, nam ea corpore meo non prorsus implebatur, libros et lintea uxor infarserat. Venia hu-

jus Gorichemum mittendæ facile impetratur. Aberat enim arcis præfectus. Quare et illud tempus rei gerendæ opportunum elegerat. —— Duo milites, qui me in navem ferebant, de nimio pondere querebantur, unumque alterum rogantem audiebam, sive serio sive joco, num forte ipse Arminianus, [ita me appellare solent isti homines,] esset inclusus. At uxor ridens, Libri sunt, inquit, Arminiani. Sic incolumis in navem perveni. Conscia erat omnis consilii nostri ancilla, quæ ad cæteras suas virtutes singularem erga nos fidem et amorem adjunxit. Hæc una mecum Gorichemum profecta est, ut curam arcæ gereret. Eo brevi pervenimus. Perferor domum amici nostri mercatoris. Arbitris remotis, hoc altero carcere meo liberor, in quo binas fere horas consumseram. Incommodum hujus itineris minus erat quam mihi proposueram. Interim consulitur qua ratione fugam maturarem. Mercator hoc se negotio impedire non ausus est, et uxori suæ reliquit. Hujus cura factum est, ut celeriter vestes acceperim, quæ me redderent incognitum. Mox fabrum aliquem simulans, cum fabro quasi socio recta per forum ambulavi. Is comitem se mihi præbuit ad Vaalvicum, atque inde curru vectus salvus et liber Antverpiam perveni. — Quis mihi tum animus fuerit, tu sentire melius potes, quam ego perscribere. Habes omnem fugæ meæ expositam tibi rationem, quam quotiescunque cogito, [et credo longum fore tempus ut nulla fere alia de re cogitem,] toties Deum O. M. laudare non cesso, qui talis uxoris opera libertatem mihi meam reddiderit. Hujus ego fructu libertatis quam-

vis

A

vis incredibiliter delecter, ut qui e gravi morbo convaluerunt, magis delectantur bona valetudine, gravissime tamen eo angor, quod quæ fortuna sit uxoris, ignarus sum. Quod si facti hujus invidia opprimeretur, atque illi in locum meum esset succedendum [quod Deus omen avertat!] mea sponte in carcerem redeo. Sed aliqua me spes tenet fore ut intelligere velint judices, Mariam esse feminam, quæ quidquid fecit, solo mei amore fecit. — Sed brevi hac sollicitudine liberabor. Compositum enim nobis est ut, si evasissem, aut ipsa aut amici ad me scriberent. A me binæ jam literæ missæ sunt. — Quam longa, inquies, epistola! — Fateor modum excessi. Sed ulciscere te jure talionis, aut mitte potius etiam longiorem. Gratiorem mihi poenam injungere non potes. Vale, Maureri et me ama. —

MARIA REIGERSBERGIA HUGONI GROTIO S. D. P.

Accepi literas tuas, plenas illas summæ voluptatis, nec minoris sollicitudinis; voluptatis nimirum ob recuperatam libertatem, sollicitudinis, quod, quæ mea esset fortuna, ignorares. Næ tibi ego omnem metum his literis abstersero. Nihil mali mihi accidet, et brevi ad te proficiscendi erit facultas. Quantum gaudium ex successu rei tam arduæ perceperim, ad te quid scribam? A nemine te cognitum Gorichemo exisse, ab ancilla nostra

accepi. Qua tandem ratione hominis istius erga nos amori et fidei dignas referemus gratias? Nihil poſtulat, niſi amicitiam noſtram, alia omnia repudiat. Movit me tanta animi magnitudo, et credo te movebit. Sed de his coram. Non dubito quin ſcire aveas, quid hic, te interim fugiente, factum fuerit. — Vesperi præfectus arcis domum redit. Vidit tenebras eſſe in conclavi, in quo tu literis vacare ſolebas. Orta est ſuſpicio. Fugam et hujus rationem cognoſcit. — Mox omni qua potuit celeritate Gorichemum abit, domumque Daatſelaari explorat. Nihil non tentavit. Sed fruſtra. Coäctus tandem est denuntiare magiſtratui, Grotium e carcere fugiſſe. — Ut quam primum tecum eſſe poſſim, graviora negotia in patria ipſa curabo, alia amicis commendabo. Tu hilari et læto ſis animo, et inprimis id agas, ut valutudinis imbecillitatem ſuſtentes atque corrobores. Hoc te vehementer, mi Hugo, rogo. Vale. —

HUGO GROTIUS GULIELMO FRATRI, P. S. D.

Vide quo me fatum meum, aut odium eorum, qui me non norunt, perduxerit! Civis eſſe deſii Batavus, atque alienæ civitatis factus ſum. Regina Sueciæ ſuo me favore atque amicitia complectitur, et brevi legatus illius in Galliam proficiſcar. Hoc ſpei atque opinionis de me documentum non minus me conſolatur exſulem, quam honor atque dignitas mul-

multis contumeliis vexatum erigunt, et reditus opum alienarum indigentem ſublevant. Iſta igitur eſt fortuna mea, cui multi invideant, quam plures etiam concupiſcant. Quali hanc ipſe animo feram? Aequo, ut decet, atque grato. Vellem etiam dicere poſſem hilari. Sed quum patriæ meæ venit in mentem, animum dolor quidam et triste deſiderium occupant. Crede mihi, cariſſime frater, multo potius tibi privatus, liber et meo contentus vivere vellem, quam in exſilio tanta cum dignitate. — Verſantur quotidie ante oculos parentes, cognati, atque amici. Adest non urbs ſolum, verum etiam domus quam habitavi. — Quid dicam de vita, quotidiana quæ erat in Hollandia, quid de victu, quid de tot aliis rebus, quibus ægre careo, et nusquam niſi in Hollandia reperio? Numquam cogitatione asſequi potui, tantum nobis amorem eſſe innatum telluris, quæ nos genuit atque aluit. Quod nunc maxime experior, cui forte omni vita eadem tellure carendum est. Et quæ ſpes est fore hæc aliquando melius? Ego quidem vereor ut unquam eo ſim rediturus. Animi enim nonnullorum tanto odio ſunt exacerbati, ut nec Deum nec religionem nec justitiam reſpiciant, ſuisque veris criminibus diluendis, falſa mihi affingant. Pariſiis quum nuper eſſem, conſuetudinis me cum legato Hiſpano accuſarunt, quum tamen illum nec viderim, nec ullum mihi cum eo intercesſerit commercium. Legatum patriæ nostræ, cujus labores bono publico ſublevare volebam, quominus convenirem, hi caverunt qui non dicam quo jure, quibus artibus, ſed rempublicam apud vos tenent. Facile hinc vides ſpem,

quam mihi posſim proponere, niſi ſim ſtultisſimus, esſe nullam. — Scripſi igitur et ad amicos et ad eos qui in magiſtratu ſunt, magnis me beneficiis atque meritis Sueciæ esſe obligatum, eamque pro Hollandia patriam meam factam; Hollandiæ tamen amorem me, non prius quam animam, esſe depoſiturum. Vale. —

HOOFDIUS CASPARI BARLÆO P. S. D.

Parentem meum ſummo quidem ſemper proſequor amore, ut debeo, neſcio tamen quis cumulus eidem amori accedat, quando pueritiæ memoriam repeto. Idque cum ob alias cauſas, quas enumerare longum est, tum quod patriam amare, et more patrio vivere, et exemplo ſuo et præceptis me docuit. Senſus iste quo me tum imbuit, cum ætate mihi crevit, et, quæ primum facere inſtitui, quia ille monebat, qui me ut oculos ſuos amabat, hæc facere deinde nunquam omiſi, utpote cui hoc utrumque viſum est pietas et voluptas. Amavi ergo non patriam ſolum, quantum potui, ſed etiam mores ejusdem et ſermonem, et omne quidquid, ut ita dicam, ſit patrium. — Juvenis in Gallia, Italia, et Germania fui. Quæ digna erant viſu, et cognitu, ea vidi et cognovi. Sed hæc omnia hunc meum, quem dixi, amorem, non tantum non exſtinxerunt, verum etiam confirmarunt, ut adeo peregre quum esſem, ortu meo ſæpe gaviſus fuerim. Nam non ſu-

ſumus quos extra patria dicere pudeat, „ Civis „ Batavus ſum." — Natio est, ut peregrini etiam agnoscunt, fortis, fidelis, diligens, ſincera, ingenioſa. Regio ſitu aptisſima vitam ſingulis civibus jucundam et facilem præſtandi, et per hos proſperam reipublicæ fortunam et vero etiam divitias conciliandi. — Et miraris adhuc me, quod hujus ſim regionis, lætari? Miraris, me omnia, quæ hujus ſunt propria, adeo amare ut pauca omnino ſint, quæ cum exteris permutare velim? — Placent ergo omnia, victus, vestitus, mores, et inprimis hic, quo utimur, ſermo. Nec video justam rationem quare nonnullii quemvis peregrinum huic præponant. Non dicam nunc quam ingrati ſint, qui linguam majorum ſuorum negligunt, ſed quam imprudenti et præpostero id agant conſilio, id ipſi videant. At non copioſa ſatis nec dives nec elegans est ſermo Belgicus, ut merito alicui præ Gallo inprimis ſordeat. At illi ſpernunt aliquid quod non norunt; [ars enim plerumque non habet inimicum, niſi ignorantem.] Idem ſtudium, aut minus etiam, in ſuam ipſorum linguam, quam in alienam, conferant. — Sed hoc ab iis vix ac ne vix quidem exſpectes, qui honori ſibi ducunt in ſua patria esſe hospites, et cum admirabili ista, quæ dicitur, Gallorum elegantia, etiam ſermonem ſibi adſciverunt. — Me quod attinet, magni facio Gallicam linguam, minoris tamen quam nostram. Itaque ad hanc intelligendam, poliendam atque ornandam omnes ingenii et diligentiæ curas intendi, neque dubito, quin alii olim ſint exorituri, qui in eodem labore verſari non detrectent. — Ecce cauſas, quare

in rebus et sermone patriæ meæ unice quasi vitæ tabernaculum posuerim, et deinde positurus sim, quantum ab officio et valetudine liceat. — Vale.

HOOFDIUS HUGONI GROTIO P. D. S.

Quantum gaudii nobis illud attulit quod e carcere non inusitata minus quam felici ratione evaseris, tantum etiam percepimus doloris, quod tibi in exsilio patria, et patriæ te sit carendum. Utrique certe, ut et ego et omnes ingenui cives arbitramur, accidit illud molestum, et vero etiam patriæ damnosum. Quamquam ea, Groti, tua est sapientia et virtus, ut omnia bona in te ipso posita habeas, et externis istis honore, divitiis, auctoritate æque facile carere possis, atque etiam in exsilio, si velis reperies; exsilium tamen injustum bono civi res misera mihi videtur. Quantam vero utilitatem et splendorem res ex te publica accipere posset, si per nonnullos liceret, superioribus apparuit temporibus. — Hoc inprimis, quum sæpe cogitaremus, putavimus amorem patriæ omne, quidquid in nobis esset, postulare, quo reditum tuum efficere possemus. Apud eos ergo, penes quos summa rerum est, non semel mentionem exsilii tui injecimus, nec, quid nobis ea de videretur, dissimulavimus. Utinam conatus nostri tantum valerent, ut justitia in re tua uti vellent, nec quidam falso pudore impedirent, quominus tuo in patriam reditu singulis et omnibus pa-

pateret, præcipiti vos rerum curſu et odio atrocium animorum, non culpa vestra eo fortunæ esſe adductos. Hac re et mihi et omnibus bonis nihil optabilius accidere poterit. Vale. —

HOOFDIUS AMICIS SUIS LONGE CARISSIMIS P. D. S.

Et æstas est et coelum per aliquot jam dies adeo ſerenum, ut arthriticum etiam ad ambulandum posſit invitare. In hortis meis omnia florent, multa ſunt matura. Ceraſa rubent ut labia formoſæ virginis. Vos ſi vita frui velitis rustica, quum res in urbe ſint prolatæ, aufugite fumum et ſtrepitum, et curas domi relinquite, ſi posſitis. Sin minus, et comites vestri esſe velint itineris, næ ego faciam ut eas poeniteat. In ædibus enim meis aut hortis durare hoc tempore non posſunt. Quæ arma, quibus eas defendam, habeam? Vini ſuavisſimi florem, quod nemo nostrum ætate æquat. Seria et jocos, muſicam et cantum, coenam, ut mos meus est, Hollandicam. Hanc conditionem ſi non adſpernamini, feceritis mihi gratisſimum. Valete et venite. —

HOOFDIUS CASPARI BARLÆO P. S. D.

Ego vero, mi Barlæe, vellem in meo acerbissimo luctu affuisses. Quantum enim oratio me tua et societas pæne ægritudinis adjuvare potuisset, ex eo intelligo, quod lectis literis tuis aliquantum a nimio dolore respiravi. Nam ea scripsisti, quæ me consolari et luctum levare possint et debeant. Est, ut dicis, mi Barlææ! Non me fugiebant ista, sed subito dolore impeditus non perspiciebam. Et quomodo perspicerem qui pater sim et paucis mensibus binos optimæ spei filios, qui carissimam uxorem, qui optimum parentem, hos acerba, illum exspectata quidem attamen filio semper flebili, morte amiserim? — Nunc autem non mediocriter me erigunt et ratio et religio Christiana, utraque a te in memoriam mihi redacta. Harum una me temporis beneficium in minuendo molliendoque dolore non exspectare jubet, negatque oportere me, qui aliis in his casibus sæpe præcepi et consilium dedi, mihi ipsum deësse. — Altera me, hominem Christianum, omnia Dei consilia vult probare, et spem certam futuræ immortalitatis ostendit. Sed de his plura inter nos, ut spero. — Scito enim adventum tuum semper quidem mihi esse gratissimum, nunquam tamen fore gratiorem. — Non enim eadem mente, qua solebam ad muneris negotia aut literarum studia accedo, nec me ab his eadem domus excipit. Requiro liberos, desidero uxorem. Itaque ad me venies, quam primum poteris. Vale. --

JO-

JOANNES WITTIUS LEGATO (*) REGIS GALLIÆ. P. S. D.

Magnam liberalitas tua mihi injecit admirationem, vel, ne quid dissimulem, stuporem. Ignosce mihi, si dixero, animum tibi meum aut rationem muneris, quo fungor, esse incognitum. — Operam meam patriæ præsto quam diligentissime, atque inde tantum ad me venit, quantum ad dignitatem tuendam satis est. — Omnia quæ civibus meis aut a me aut ab aliis proficisci possint utilia, studiosissime et libentissime facio. Si, quæ rex velit, ejusmodi sint, gratis facere paratus sum. Magnam mihi pro officiis mercedem donaverit, si fidem mihi suam et amicitiam donaverit. Vale. —

(*) LEGATO] Erat ille D'Estrades. — Sæpe tentavit principes civitatis nostræ viros, sed frustra. Patet illud ex ejusdem epistola quadam, in qua his usus est verbis. „ Sibi in Hollandia non plures quam quatuor homines esse „ notos, qui corrumpi pecunia non poterant, Joannem et „ Cornelium Wittios, Hieronymum van Beverningk, et „ Koenraad van Beuningen." —

WIT-

WITTIUS CORNELIO FRATRI, P. S. D.

Ea est principum et populi consuetudo ut res secundas suæ tribuant fortunæ, adversas culpæ alienæ. Hujus ego rei nunc triste præbui exemplum. Plebis imperitæ et concitatæ calumniam, me scilicet omnium calamitatum quæ patriæ eveniunt, esse auctorem, tacite despexi. Neque hæc mihi tam inopinato accidit, quam impetus tempore nocturno ex insidiis in me factus. Atque eo furoris et audaciæ quatuor cives processere, quorum odium ebrietate erat irritatum. Jamque manibus illorum fuissem trucidatus, nisi Deus cavisset. Scis quantum curæ et temporis negotiis semper tribuam publicis. Ea quum nuper multa essent et gravia, magnam noctis partem in Senatu Hollandiæ scribendo consumsi. Domum inde revertor. Servus me comitabatur cum face ardente, subito quatuor armati ex insidiis provolant, servo facem manibus excutiunt, eamque exstinguunt. Ego me frustra defendere conor. Vulnere cervici illato, humi me dejiciunt. — Quum ad me redissem solus jacebam, valde debilis, multo sanguine amisso. Reliquerant me scilicet homines, arbitrantes se jam consilium suum perfecisse. — Ego interim, quod vix valebam, domum peto. Postero die magistratus Hollandiæ hujus facinoris per epistolam certos feci. Res patefacta est. Jacobus van der Graavius, filius senatoris, prehenditur. Reliqui clam se proripuerunt. Reus confessus

ſus est ſe cum fratre et duobus amicis vesperi coenaſſe, media nocte exisſe ambulandi cauſa, ex lumine lucernæ conjecisſe me etiam in ſenatu esſe, ſeque invicem vini plenos, ad cædem meam incitasſe. — Addidit ſe nullam ſcire cauſam quare ſocius hujus facinoris fuerit, niſi quod a Deo esſet relictus. — Medici me ſpem concipere jubent fore ut intra paucos dies convalescam. Vulnera enim non erant lethifera. Famam hujus rei magnæ tibi fuisſe ſollicitudini, facile intelligo. — Brevi valetudinem meam præſens videbis. Sunt enim quæ coram tecum velim. Vale. —

WITTIUS CORNELIO FRATRI P. S. D.

Ille qui me, civem ſuum, redeuntem ex curia, fesſum a negotiis reipublicæ, ut maleficum ex inſidiis adortus, et jugulare conatus est, facinus morte luet, bona publicabuntur. Fuere qui mihi proponerent, an non a me impetrare posſem, ut veniam ſupplicii rogarem judices, oſtendentes quam hoc facto animos plebis reconciliarem, et favorem omnium recuperarem. Ego me illi, quod in me commiſisſet, ignoscere reſpondi, cauſam vero judicibus esſe commisſam, quorum auctoritati atque integritati me precibus meis non intercedere posſe. — Et cui bono intercederem? Ut ſpes impunitatis, maxima illa peccandi illecebra, malorum et numerum et audaciam augeat? Quod ad odium attinet populare, hoc

hoc immerito patior. Et si populi favorem recte faciendo servare aut recuperare non possum, non profecto illud conabor misericordia quadam, stulta aut crudeli, quæ omnium, qui publicis funguntur muneribus, vitam telis improborum sit expositura. — Quid? quod ista re inimicis meis risum præberem? Non enim illi hic animi magnitudinem, sed debilitatem quærerent. Hæc sunt quæ me moverunt, ne facerem quod amici me rogarunt. Homini infelici, ut jam dixi, ignosco, et me illius miseret, qui honesto loco natus, optimis artibus eruditus, eo dedecoris atque infamiæ processerit. Nullus quidem (*) dubito, quin hoc ipsum majorem mihi invidiam sit conciliaturum, et facile intelligo quam alii me non injuriarum oblisviscentem, aut propositi tenacissimum sint appellaturi. Per me licet, nec, quoquo modo hoc accipiatur, causæ intercedo. Cura quæso ut sciam quid tibi videatur. Vale. —

(*) Nullus quidem et seq.] Ut etiam accidit. — Hic addere non videtur a re alienum plebem, Joänne et Cornelio non multo post crudeliter occisis et dilaceratis, domum senatoris Van der Graavii prætereuntem, clamasse ad uxorem „ Mortem filii tui vindicavimus. Hujus auctores jam pendent." —

COR-

CORNELIUS WITTIUS JOANNI FRATRI
P. S. D.

Gulielmus tertius, cupidisſime hoc agente plebe, majorum honoribus et auctoritate potitus est. Magiſtratus Dordraceni ſcriptum illud ſubſignarunt, quo edictum (*) æternum antiquatum est. Etiam ventum est ad me, quum æger domi decumberem. — At ego me jusjurandum olim datum violare nec poſſe nec debere respondi; quippe quo me nemo homo liberare poſſet. Illi furorem plebis ostendebant, quæ magna frequentia circa domum meam confluxerat, et, ſi cunctarer, vim factura videbatur. Ego omni qua potui me conſtantia muniens. „ Tot periculis, „ inquiebam, in nupero proelio navali vita mea fuit „ expoſita, ut nulla amplius timeam." Neque ut nomen ponerem tum me inducere potuerunt. Ecce mihi uxor, parvulos filios in ſinu gerens, venit, et lacrimans orat, ut illorum cauſa vitæ meæ conſulerem. Quod ni facerem, foras ſe progresſuram, et facto plus quam muliebri generi meo conſulturam. — Cesſi invitus, nec lacrimis illius reſiſtere potui. — Nomen ergo dedi, binas tamen addens literas (†), quæ vi me esſe coäctum indicarent. Sed et has delere ne-

(*) Edictum æternum.] Het eeuwig edikt. — Notum in hiſtoria patria hoc nomine; quo, nimia Principis auctoritas arcte coërcebatur. Creavit hoc Wittiis et aliis ingentem inimicæ factionis invidiam. —

(†) Binas — literas.] Scilicet V. C. —

necesse mihi fuit. Vereor quorsus hæc omnia sint eruptura et ut ex his malis nos simus emersuri. Non enim magis in nostra sumus potestate quam ii, qui fluctibus maritimis jactantur. Vale, si quis tamen in his rebus valere possit. —

JACOBO WITTIO, PATRI, P. S. D. JOANNIS.

Ea est acerbitas odii, quo in omne nomen nostrum inimica factio flagrat, ut nec jus nec fas nec leges respiciat. Judices, si Diis placet, in Cornelium facinus ausi sunt, a quo omnis posteritas abhorrebit, et prorsus nescio quid magis debeam admirari crudelem illorum injustitiam, an excellentem Cornelii constantiam, quam dabat innocentia. Judices non satis habentes, si eum falsi criminis ab impio et scelerato indice delatum, in custodiam conjicerent, nec innocentiam, quæ luce clarior apparet, videre volentes, torserunt eum, si forte dolor exprimeret confessionem rei, de qua numquam cogitavit. Proh Deus! quasi ista crudelitas veritatem posset indicare, quæ apta solum est patientiæ captivi tentandæ.. — Heri vesperi præfectus custodiæ Cornelio nuntiabat se nihil ei, quod ederet, daturum, nec causam interroganti respondebat. Quare ille, quid fieret, suspicans, intrepide, Quid ergo, inquit, diëne me crastino torquebunt? Ante meridiem ductus est in conclave, in quo ista immanitas exerceri solet, et quamquam nondum aderant judices, tortor opus suum aggrediebatur. Quod quum

quum Cornelio, ut erat, indignum videretur, sibi imperatum respondit, tantamque illi doloris vim coepit intentare, ut lacrimas tenere non potuerit. — „ Heus tu, ait, jam te hoc movet. Confitere! „ non enim dolorem feres." Ad hæc Cornelius. „ Quis, scelus, confiteri aliquid possit, quod non „ commiserit?" Interim dum cruciatus augentur, judices adveniunt, atque ut confiteretur, admonent. At ille nullius sibi culpæ conscius. „ Dilacerate me, si velitis, exclamat, falsum mihi „ facinus affingite. Hoc me commisisse ut confitear, nunquam induci potero. Vos ipsi scire „ possitis nulli me culpæ esse affinem." Post hæc tanta illius fuit constantia, tamque admirabilis patientia, ut, licet vis tormentorum etiam major adhiberetur, ne gemitum quidem ejus audierint. Quid? quod judicum crudelitatem irridere, nec dolorem sentire videretur: clara enim voce ex Horatio (*) illa recitavit:

Justum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida. —

Atque tres horas hæc illi immanitas fuit ferenda. Datus deinde est iterum in custodiam. Quid nunc de illo futurum sit, Deus novit. Timeo prorsus quo nunc judices progressuri, aut quidnam acturi sint. — Nihil agunt quod ad me non defertur. Si quid certi cognovero, hæc coram. Vale. —

RUI-

(*) Horatio.] III. Od. III. vs. 1. et seq.

RUITERUS OPTIMO AMICORUM P. S. D.

Quamquam omnia tibi, quæ in itineribus meis mihi evenerint, in patriam reverſus narrare ſoleam, negare tamen, quod petisti non posſum, ut ſcilicet, ſi epiſtola curari posſit, ſcribere non negligam, quid agam, aut ubi ſim. —— Salvi ergo Saleam (*) pervenimus. Biduum cum ingenti tempestate nobis fuit luctandum. Merces, quas advexi, venditæ fere ſunt, idque magno ſatis pretio. Si minore voluisſem, dudum negotia fuisſent confecta. Sed nosti me nihil ſolere abjicere, et res mercatoris mei tam attente, aut magis etiam, quam meas agere. Id enim et officium meum et fiduciam, quam in me collocant, postulare arbitror. Ista autem diligentia heri magnas mihi creavit molestias. Sed ſic est ingenium meum, quod cum coelo mutare non posſum. Hoc in Africa idem manet atque est in Hollandia. Quæris an hoc hominis ſit ſapientis. Ista de re diſceptare nolo, ſed hoc affirmare posſum, aliquem, qui boni propoſiti est tenax, et ſtrenue officio fungitur, barbaris etiam placere. —— Hoc nunc exemplo didici. —— Præfecto (†) urbis præ

(*) Saleam.] Salea [Sale] urbs in Africa, in regione ſic dicta Barbaria; aut ſi proprie velis Berberia. Incolitur enim et præter Mauritanos, et Arabas, a Berbernis. [Berbern.]

(†) Præfecto.] Dicebatur ille de Sant.

præ reliquis mercibus, quæ erant expositæ, placebat vestimentum pretiosum. Id quanti constaret, per interpretem rogavit. Justum, ut semper, poscebatur pretium. Hoc nimium illi visum, et multo minore licitus est, quo me non venditurum esse dixi. Ob id irascebatur, quod ex sermone cognosces, quem, ut cum ejus interprete habui, adscribam, et simul nomina apponam, ut inquam et inquit omittere possimus.

Præfectus. At non majoris æstimo illud vestimentum.

Ego. Hoc tu videris. Meum ergo manebit.

P. Attamen te dare jubeo atque impero.

E. Mihi non licet sic abjicere illud, quod eorum est, a quibus missus sum.

[Hic minitabundus abiit. Quo facto per internuntium eum rogavi si vestimentum illud, quoniam de pretio convenire non possemus, gratis a me accipere vellet. Reversus ille,]

P. Non licere tibi tu dicis id, quod tuum non est, exiguo pretio vendere, donare vero licet?

E. Abjicere mihi nihil licet. Sic sumus Hollandi mercatores. Donare licet, si res aut usus postulet.

P. An tu nescis te et omnia tua in mea esse potestate. Nescis me, si velim, hæc mihi sumere posse? —

E. Non nescio. Sed sic nemo in posterum fidem tuam esse credet certam, nec se oris, quæ tuæ sunt ditionis, committet. Si me pro captivo habeas, statue pretium, quo libertatem redimere possim. Dabitur. — Ad hæc terram pedibus pulsans, et plenus iræ, me et alios, qui frequentes aderant, re-

liquit, et discedens ait. „ Quam (*) indignum est, talem hominem esse Christianum! Interim dum ego cum aliis etiam Turcis et ipsius etiam præfecti fratre querebar, quam non pro meritis mecum ageret, et incertus eram quæ me sors maneret, redit ille, sed vultu placido, et iterum rogat, num dicto pretio vestimentum vendere vellem. At ego me donare posse, sed ita vendere non posse, simpliciter respondi. Tum ille ad eos conversus, qui adstabant. —— „ Videte mihi fidem et pieta-
„ tem hominis Christiani erga suos! —— Utinam
„ vos omnes, si res ferat, ita erga me sitis ani-
„ mati!" —— Mox magno impetu medium me complectitur, sinum meum suumque denudat, manum suam meo, meam suo pectori admovet. Est autem hoc amoris, amicitiæ atque fidei magno indicio. — Movit me vehementer tanta animi magnitudo, et vero etiam socios nostros. Horum tu hominum ferox ingenium nosti. Sed crede mihi, erant qui oculos non siccos ex hoc spectaculo referrent. Ego quum solus essem diu de virtutis amabilitate mecum cogitavi, quæ in hominibus cujuscunque nationis, coloris, et religionis conspicua, omnes mortales vi quadam tacita ad diligendum allicit. — Ista porro res novum me docuit exemplum, nos recte (†) faciendo neminem oporte-

(*) Quam indignum et seq.] Cf. Epist. Fascic. I. p 25.—
„ Cæterum [Turcæ] desides sunt et stupidi, jactant se fide
„ Muhamedis, aliosque a se dissentientes alto supercilio
„ despiciunt."

(†) Nos recte faciendo et seq.] Ista Ruitero constantia

tere timere. Quum vespera heri advenisſet, ſociis congiarium dedi, quo ſe invitarent, ſimulque admonui ne Turcas deſpicerent, in quibus homines tantæ animi magnitudinis eſſe vidisſent. —— Sed, inquies, quid tu philoſophus ex nauta factus, hæc nunc per epiſtolam, de quibus hieme ad focum ſolemus? Est ita. Sed quis in tali re ſilere posſit? Neque timendum tibi est ne de his latius olim disſerendi occaſio ſit prærepta. Obliviſcar enim quoad vivam, nunquam et omnibus narrabo, quibus potero. —— Valde ſpero fore ut hæ te literæ bene valentem offendant, nec ſatis dicere posſum quam avide tempus in patriam redeundi exſpectem, Quod, ut nunc eſt, brevi erit. Vale.

RUITERUS OPTIMO AMICO P. S. D.

Ea aliquamdiu in bello uſus ſum fortuna, quod Deo, qui bonæ cauſæ adest, acceptum refero, ut majus mihi imperium a magiſtratibus Hollandiæ ſit oblatum. Ego ſi dicerem istam, quam de me habent opinionem, mihi non eſſe jucundisſimam, nec me

tia magnæ fuit utilitati. Namque præfectus urbis Hollandum aut dictis aut factis lædi vetuit, inque omnibus rebus juvari jusſit. Et permanſit Ruiterus ſemper in illius amicitia. Quo factum est ut Mauritani magni eum facerent, nec alter esſet, quocum libentius mercaturam facerent. —

me magnopere tanto benevolentiæ atque honoris indicio delectari, mentiar. Sed ista mihi visa fuit muneris et rei gravitas, ut magistratuum votis subito parere non potuerim. Accedit etiam quod non magna de me sentire soleam, et genus meum impar sit tantæ dignitati. In Zelandiam ergo profectus sum, atque amicos aliquot præstanti prudentia et in patriam amore, consului. Hic omnia cum iis, quæ ad rem pertinerent, attente meditanti literæ ab iisdem magistratibus conscriptæ superveniunt, quarum addidi exemplum. Extemplo Hagam redii. Ibi Wittius coram frequenti senatu omnia, quæ me a tanti muneris gravitate possent deterrere, partim sic illustravit, partim diminuit, ut jam non boni civis esse mihi videretur, me senatui populoque Hollando non addicere. Quod patriæ felix faustumque esse Deus O. M. velit jubeatque. — Vale.

MAGISTRATUS HOLLANDIÆ (*), MICHAELI RUITERO, VIRO FORTI, PIO, ET PRUDENTI, AMICO SUO P. S. D.

Fuimus semper in ea sententia, quam et dictis et factis sæpe declaravimus, virtutem omnium mortalium laudandam esse atque ornandam, quocunque illi

(*) MAGISTRATUS et seq.] Titulus est. Manhafte, vroome, discrete, goede vrund. — Exstat autem hæc epistola in Vita Ruiteri, a Brand. conscripta pag. 66. —

illi essent genere atque loco. Virtus et fortitudo, quam in variis proeliis contra hostem præstitisti, nobis accidit gratissima. Perspicimus etiam atque agnoscimus plurima in te animi bona, quibus te Deus O. M. ornavit. Quare te absentem nuper majori, quam quo adhuc usus es, præfecimus imperio. Quod accipere illud cunctaris, facere nobis videris pro singulari tua modestia, quæ viris magnis propria esse consuevit. Persuasum autem nobis est, te non passurum operam tuam aut ea quæ diximus bona patriæ deësse, et majorem in modum a te petimus, ut, quæ ab accipienda ista dignitate te forte deterrere possint, nobiscum communicare velis, quoniam non dubitamus quin ea aut illustraturi aut diminuturi simus. Quod superest, valde speramus fore, ut votis nostris et patriæ pareas. —— Vale. ——

RUITERUS PROCURATORI RERUM BATAVARUM APUD MAURITANOS P. S. D.

Misi ad te indicem librorum Arabicorum, quos impensis publicis emas velim, si copia detur. Scripsi etiam ad præfectum Saleæ, ut in iis parandis tibi sit auxilio. Tu si omni diligentia et studio hoc negotium curaveris, pergratum feceris magistratibus Hollandiæ, qui hoc mihi injunxerunt, ex patria in Africam abeunti. Idque rogatu Jacobi Golii. Is est qui magna cum laude literas Orientis Leidæ

docet. Narrant illi, quorum de his rebus est judicium, meum enim non est, Golium in hoc genere nemini esse secundum. Ac vide incredibilem hominis discendi aviditatem. Iter fecit in Syriam, ibique diu moratus, doctrina se Arabica totum imbuit. Jam antea cum legato Hollando in regno Maroccano fuit. Ibi regi libellum, Arabico a se conscriptum sermone, obtulisse dicitur, quem ille et magna cum voluptate perlegit, et, summopere admirans hospitem Arabicam linguam tam exacte callere, scribis suis, qui doctrina et eruditione eminebant, legendum dedit. —— Jure igitur merito magistratus Hollandiæ nos, quod ille petiit, perficere, si possimus, jusserunt. Namque et jam opera Golii interpretis usi sunt, [quis enim tanta cum facilitate Turcico et Arabico sermone cum legatis quid agat, qua ille?] et uti deinde volunt. Quare et mihi magno erit gaudio, si per te studiis hominis doctissimi et vero etiam patriæ inservire possim. Vale, et quod rogaris, bene age. ——

RUITERUS REI MARITIMÆ IN HOLLANDIA PRÆFECTIS P. S. D.

A legato heri vestram cognovi voluntatem, qua ea (*), quæ de perquirendis navibus jussistis, pro in-

(*) Qua ea et seq.] Erat hoc jussum quoddam [secrete acte] Præfect. rei marit. Amst. continens rationes quibus uterentur Hollandarum navium præfecti, si Angli naves mer-

infecto habetis. Videtur illud mihi, ut vere dicam, a dignitate patriæ noſtræ, quam tuemur, alienum, et bonis militibus vix ferendum. Britones magna aliquando nos afficient contumelia, quæ toti civitati Hollandæ ſit dedecori; et fieri facile poterit, ut mercatores noſtri proditionis nos et perfidiæ accuſent, et inertes nos eſſe nebulones arbitrentur. — Et quis in tanta Britonum licentia naves fidei ſuæ commiſſas tueatur? Summi et infimi hujus gentis, quicunque modo navi bellicæ præſint, cauſas contumeliæ captabunt, naves mercatorum pro lubitu perquirent, easque, quo jure qua injuria, in portus ſuos abducent. Hoc nos ut imbelles homunciones videbimus, et illis riſum præbebimus? Illud nemo, qui patriam fido amore proſequitur, æquo animo ferre poteſt. Valde igitur ſpero fore ut, ſi fieri poſſit, alia jubeatis, atque ea avide exſpecto. — Claſſis noſtra iter ſuſcipere parata eſt, modo ventus faveat ſecundus. — Valete. —

RUITERUS OPTIMO AMICORUM
P. S. D.

Duæ Gallorum naves a nobis captæ ſunt, quæ mercatoribus noſtris magno fuere detrimento. Major, dicta regina, armata erat ducentis et triginta ſo-

mercatorias, ſuæ tutelæ commiſſas, perquirere vellent. Illud autem ſibi jus ſumſerant, regnante Cromwellio, Protectore Angliæ. —

sociis navalibus, tormentis triginta, minor, cui nomen venatoris, centum et octoginta hominibus, viginti et octo tormentis. Celerrimæ sunt navium Gallicarum, quas unquam persecutus sum. Præfectus reginæ est eques Malthensis, Lalandius (*), a cujus rapinis multos jam annos mare non tutum fuit. Hunc, quum in navem meam transisset, eundem esse cognovi, quocum mihi ante septem fere annos negotium fuit. Rem in commentarios tunc retuli, non suspicans, fore ut ille, in cujus eram potestate, in meam aliquando esset venturus. Ex Barbaria iter in patriam meditabar. Exitus Gallæ naves obsidebant, omnia, quæcunque possent, levissimam quamque causam interserentes, prædabantur. Vim vi repellere, summæ fuisset dementiæ. Tentabam igitur quid verbis possem, ipsumque præfectum in nave sua conveniens, „ Regi tuo, inquam, et civitati nostræ est societas. „ Iter igitur meum ne impedi. Quod ex portu „ eorum, quibuscum vobis bellum est, egressus „ sim, ne te hoc moveat. Publica munitus auctoritate hoc feci." — At ille contemtim ridens, Nihil dicis, ait. Navem tuam, et, quibus onusta est, merces, meas facio. Tum si bibere vellem, rogavit. Ego me velle, respondi. Et ille, vinum an aquam? — Si captivus sim, non sine indignatione dicebam, aquam, si liber, vinum. — Quantam eum mihi tum admirationem injecisse putas, quum vinum infundi jussit, iterque mihi prosperum optavit? — Utrumne tam injusta prædandi causa eum

(*) Lalandius.] De la Lande. —

eum moverit, an mea dicendi libertas illi placuerit, nescio. Sed hoc scio, istam fortunam magno mihi fuisse gaudio. Eundem nunc ego Lalandium cum nave sua cepi; ex quo etiam apparet, quanta fortunæ sit varietas et mobilitas. Quæris an memorem me beneficii præstiterim, quo tum me ille affecit? Ego vero præstiti, sed quantum fides mea et summorum magistratuum imperium paterentur. Hanc enim servare, huic parere, summum semper habui officium. Neque diu dubitavi quin patriæ jura hic multo essent sanctiora, quam amicitiæ cujusdam aut animi grati. Itaque eum, qui naves mercibus onustas sibique impares, longo tempore vi rapuit, dimittere non potui. Sed fortunam illius solari possum, ut facio. Vivit in nave mea, ut in sua. In patria etiam, quæ in rem illius effici a me poterunt, efficiam. Nihil ultra jure quis a me postulet. — Vale.

RUITERUS OPTIMO AMICORUM P. D. S.

Nyeburgum (*) terra marique a nobis et sociis obsessa impetum sustinere non potuit, atque in deditionem regis Daniæ pervenit. Ingens fuit Suecorum clades, nec minor virtus. Primum ante urbem magna vi pugnatum est. Inimici Hollandorum inprimis militum fortitudine in urbem repulsi sunt. Nam

(*) Nyeburgum.] Nyborg. Quasi Neoburgum seu Novioburgum, in Suecia. —

Nam quum Danorum et Germanorum cohortes cederent, multique armis abjectis ordines relinquerent, Hollandi agmine conferto, telis projectis, impetum hostium retardarunt et fregerunt. Quod et sociis sui restituendi tempus dedit, et victoriam maturavit. Mari res eadem virtute et felicitate gesta est. Alacritas sociorum navalium, quam nec (*) Angli negabunt, tanta fuit, ut admirari satis non potuerunt meumque imperium laudaverim, qui talibus hominibus præessem. — Urbis obsessæ miserrima erat facies, ut e mari visentibus procul apparuit. Certatim globi ex omnibus omnium navium tormentis, sine ulla intermissione aut mora immittebantur, idque eo majore cum successu, quo propiore eramus. Hinc strages orta est maxima. Namque et urbs haud ita magna, et referta ingenti Suecorum militum vi, inprimis equitum; et globi, grandinis instar, in domos atque tecta ruebant; nec quidquam fere erat quod non dejiciebatur. Quare incredibilis hominum et equorum multitudo periit. Miserebat me tot calamitatum, quas bella trahunt. Itaque lætus caduceum ex urbe ad me venientem vidi, et brevi post ab imperatore Danorum cognovi, urbem se in fidem illius atque deditionem tradidisse. Mox ipse eo veni. Dani aliique omnia, quæ miseris civi-

(*) Quam nec et seq.] Laudavit et hanc deinde Askawius, qui captus a nostris, et in carcere Lupesteinio audiens classem Hollandam brevi postquam quatriduum pugnaverat, vela ventis dedisse, arcis præfecto dixisse fertur, „ Jour have an promte nation." i. e. Alacris est natio vestra.

vibus remanserant, rapiebant. Imperatorem, ne illud fineret, frustra rogavi. Putabat ille furori militum in urbe, quam vi et armis ceperant, resisti non posse. At qui tandem Hollandi posfint? Hos enim, dum tanta alii crudelitate grassabantur, facili negotio duces disciplina continebant, ut quieti in armis ftarent. Magnopere gaudebam cives hos esse meos qui scirent,

Parcere dejectis et debellare superbos.

Neque ideo diu in urbe moratus, me in classem recepi, arbitrans omne onus captæ urbi esse grave. Si per ventum liceat, brevi cursum in patriam dirigemus. Nam hiems jam imminet. — Vale. —

PRÆTOR CLASSIS ALGIRANÆ MICHAELI RUITERO P. S. D.

Quamquam in causa religionis etiam sis inimicus, tamen spero te, quod peto, mihi non esse negaturum. Tertio jam me persecutus es, primum apud Maltham, deinde Siciliam, nunc autem ad portum Farinæ, in quem me recepi. Ego te semper fugi, tanto certamini longe impar, non quod animus pugnandi deësset. Est mihi modo cymba quam arci tuæ opponam. Quare si me tanto honore digneris, committe mecum hominem ex classe tua pari, ut ego, præfectum imperio, ut, æquo Marte belli fortunam inter nos tentemus, et ego

ego res meas, ut bonum militem decet, gerere possim. Si vincar, servus ero tuus, si vincam, id vero magnæ mihi ducam laudi. — Quod si mihi illud concesseris, nec tum ego ex portu exierim, similis dicar timidissimæ in Hollandia mulieri. — Vale. —

M. RUITERUS ALGIRANÆ CLASSIS PRÆTORI P. S. D.

Quæ a me petisti lætus cognovi. Virtutem, qua pro patria et rebus vestris stare videris, laudo, et magni facio. Præfectus (*) igitur longæ navi ex classe mea te hora locoque, quæ tu ipse constitueris, exspectabit. Fidem tibi do neminem nostrum huic navibus armis aut viris opem esse laturum. Vale. —

RUITERUS AMICO CARISSIMO P. S. D.

Quam multa in vita mortalium accidunt mira, eorum præcipue qui multum et sæpe per maria et oras peregrinas vagantur! Incidi hic in regione tam longinqua, post tantum annorum intervallum, in ho-

(*) Præfectus et seq.] Præsto fuit ille, sed Turca tutus arcis præsidio, e portu non prodiit. —

hominem Mauritanum, quem puerum puer Vlissingæ cognovi. Tria cum eodem feci itinera in Indiam. Conjungebat nos eadem fortunæ conditio, idem rei navalis studium, quod ille deinde dimisit. — Vultu erat nigro, sed animo tam candido, qualem utinam omnes Europæani haberent! Non sine summa voluptate illius temporis recordor. Nullæ nos curæ mordebant. Vivebamus in dies. Docebam illum, pro ingenio meo, mores et instituta, quibus in Europa vivebatur, docebam quæ de Deo sentiremus. Oculos in me semper intentos tenebat, nec quidquam libentius audiebat. — Sed quo me temporis illius dulcis memoria rapit? Vitium esse credo senectutis, quæ jam mihi adventat. Nosti præterea pueritiam me sæpe mihi ob oculos solere proponere, ut semper memor generis et pristinæ fortunæ, tanta, in qua nunc sum, dignitate bene ac moderate utar. — Sed ut ad amicum meum redeamus, narrabo tibi qua ratione illum repererim. — Missi erant socii navales in terram aquæ petendæ causa. Erat cum illis Van der Zaanius. Hunc Mauritanus quidam, grandis natu, Hollando sermone affatur, rogans, quis classi Batavæ præësset. Respondit ille. Michaël Ruiterus. Mauritanus, audito nomine, „ Si bene memini, inquit, ante annos „ ego quadraginta quinque aut sex amico usus sum „ Vlissingæ ejusdem nominis." Quum Van der Zaanius non alium esse, qui nunc classi præërat Hollandæ, dixisset, primo non accredidit. Tandem persuasus rogavit, ut se ad navem meam veherent. Ut me vidit et agnovit, mira exsultans lætitia, diu quasi miraculo erat obstupefactus. —

Post-

Postquam vino eum et epulis exceperam, variis de rebus collocuti sumus. Narrabat mihi magna se usum esse fortuna. Erat enim rex, ut se ipse appellabat, id est, ut ego interpretor, princeps aliquot Mauritanorum. — Mirabar hominis memoriam. Omnium fere rerum, quas pueri gessimus, meminerat. Nomina pontium, viarum, et templorum, quæ sunt Vlissingæ, tenebat. Rogabam, an etiamnum esset Christianus, quum olim Vlissingæ aqua esset inspersus sacra. „ Ego vero sum Christianus, in-„ quit, atque etiam preces, quas auctor religionis „ instituit, memoria teneo. Nec exciderunt capita „ fidei. Sed colo Deum tacito pectore, ut pos-„ sum. Quod si enim de his rebus loqui incipio, „ liberi mei et cives me derident." — Ad hæc ego, Utra te vita magis delectat quam hic agis, an quam in Zelandia agere posses? — Tum ille, „ Multo „ malim equidem hic vivere et habitare, quantum-„ vis sim pauper." — Adeo suæ cuique patriæ amor est innatus. — Tandem Kompanium (*) vestibus aliisque rebus, quæ in magno ibi sunt pretio, donatum dimisi.

(*) Kompanium] Nomen illius erat — Jan Kompany. —

MA-

MAGISTRATUS HOLLANDIÆ MICHAELI RUITERO P. S. D.

Non potuimus non te facere certiorem rerum, quæ te abſente geſtæ ſunt. Claſſis noſtra cum Anglis conflixit. Postquam duodecim fere horas utrimque erat pugnatum, navis Waſſenarii, qui ſummam imperii tenebat, incenſa et vi pulveris ignei disrupta est. Kortenarius, quem imperare juſſeramus, ſi quid Waſſenario accidisſet, primo jam proelio ceciderat. Hujus in nave, quæ ſummi imperii ſigna gerebat post interitum Waſſenarii, res non ea alacritate actæ ſunt, qua illo ſuperſtite actæ ſine dubio fuisſent. Quibus malis factum est ut claſſis noſtra, navibus aliquot amisſis, in Texelam ſe receperit. — Hujus ergo pugnæ eventum te ignorare noluimus. Hostes post proelium binos dies prope litora noſtra viſi ſunt. Poſtero die, qui est XVII. Julii, altum petierunt, vento uſi qui ab oriente venit. Itaque ſuſpicamur quidem illos ſe ad portum Anglum aliquem contulisſe, tamen illud nobis non conſtat. Navigia, ſpeculandi cauſa emisſa, nihil certi retulerunt. Ille, cui has ad te literas dedimus perferendas, justus est omni diligentia in parte ad Aquilonem proſpicere, ſi forte ibi claſſis Anglorum commoretur, tibique, quam posſit, accuratisſime oſtendere qua eos evadas. Reditu enim in patriam te intercludere conantur. Tu ſolita tua utere prudentia, et cogita nos victoriæ inſtar habituros, ſi te incolumem receperimus. Deus O. M. conſiliis tuis favore ſuo adſit.

L M.

M. RUITERUS MAGISTRATUI HOLLANDIÆ P. S. D.

Non ſine inſigni voluptate reditus vos mei certiores facio, quem Deus O. M. per medios hostes mihi dedit. Ingratus eſſem, niſi illud vobis et omnibus profiterer, neque tam præſens beneficium agnoſcerem, Sine Deo omnis prudentia in tanta hostium multitudine, qui me eadem diligentia quærebant qua ego adſpectum illorum fugiebam, irrita fuiſſet. Nihil tamen a nobis, quod potuimus, omiſſum est. A. d. II. Auguſt. in magno fuimus periculo. Certis ad me auctoribus erat perlatum, partem claſſis Anglæ per aliquot jam dies prope Norvegiam apparuiſſe. Nullam adhuc navem videramus. Summo mane duo navigia veniunt in conſpectum, quæ ſpeculandi cauſa huc illuc commeabant. Ter ſonitus tormentorum a nobis audiebatur, quod reliquæ claſſi eſſet indicio nos eſſe deprehenſos. Curſum nos nostrum tenebamus, neque hostem vidimus. Itaque a. d. VI. Auguſt. ad Delfzylam non ſine periculo acceſſimus. Signa (*) enim, quorum indicio vada evitare ſolemus, non apparebant. — Claſſis nostra conſtat ex novem navibus longis, quibus uti in bello poſſitis. Sed longo itinere valde ſunt ſordidæ, atque omnibus opus est novis velis. Socii navales bona quidem ſunt vale-

tu-

(*) Signa.] De bakens. Demta hæc erant jusſu magiſtratuum, ne hosti viam oſtenderent, ſi huc intrare vellent. —

tudine, sed diuturnis erroribus confecti. Illis ergo otium aliquamdiu concedendum est, et facultas danda exeundi in terram, ut se recreënt et vires reficiant. Præfecti omnes apti mansimus patriæ in bello juvandæ. Quæ in expeditione gessimus, quantum prædæ fecimus, ea libello exposita brevi ipse vobis tradam. Valete. —

M. RUITERUS TROMPIO
P. S. D.

De virtute quidem tua nunquam dubitavi quin ea esset tanta, ut nos omnes, quibus gloria et salus patriæ est cordi, te exempli instar intueri possemus; eadem tamen virtus in nupero proelio adeo eluxit, ut nesciam an non plus admirationis apud nos, quam fidei apud alios sit habitura. — Maximum itaque momentum attulisti ad eam victoriam, quam ab inimicis reportavimus. — Non semel te in confertissimos hostes irrumpere, tantumque iis terrorem injicere vidimus, ut, quocunque venires, locum tibi cederent. Quoties (*) in aliam navem transisti quum ea, in qua esses, hostilibus tormentis nimis esset quassata et fere perfossa? Hæc quæ ipsi vidimus, et hostes experti sunt, palam et ubique

(*) Quoties et seq.] Dedit ista Trompii virtus inimicis occasionem jocandi, rogantibus, an quinque vel sex Trompii in classa Batava essent? Videbant scilicet aplustre illius modo in hac modo in illa nave. —

que laudabo, virtutemque tuam, quod ſemper feci, imitari conabor. In hoc uno ſimus æmuli ne alter alteri quidquam concedat, et perpetuo inter nos certemus, uter patriæ plurima præſtiterit officia. Cæteris in rebus (*) ea permaneat amicitia quam rei publicæ commodum poſtulat. —— Magnopere gaviſus ſum, nec gaudere deſinam, depoſuiſſe te offenſionem tuam. Ingenue tecum agam, nam ſimulare meum non est. Magnus ſemper mihi homo viſus es, ſed nunquam major, quam cum ſalutem reipublicæ laudis cuidam opinioni prætuleris. Cæteris enim factis tuis hostem ſuperasti, hoc te ipſum ſuperasti, idque in eo genere, in quo victoria omnium est difficillima. — Vale. —

(*) Cæteris in rebus et ſeq.] Aegre tulerat Trompius quod Ruitero ſummum imperium totius claſſis eſſit delatum, quod tenebat ille interim dum Ruiterus nondum ab expeditione in patriam eſſet reverſus; adeo ut a munere ſuo dimitti petierit. —








Digitized by Google